



Ex Libris Josephi Mariani Kondyszewski Cong. Erem. Camal.

Accessit P. Benedicto Stanisszewski Kamed.



HEBDOMADALE STUDIORUM

SEU

RUDIMENTA THEOLOGICA

LOCO

Exercitiorum Hebdomadalium

AD USUM

Seminarii Varsaviensis

S. CRUCIS.

CONCINNATA.

Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Rom: 15—4.

VARSAVIÆ

Die 11. Februarii 1805.

PRAEFATIO AUTHORIS.

De Præfatione, quam Tibi bone Lector, ob oculos pono, ultimo cogitavi, idque consulto factum est, ut Tibi non causam tantum adornati hujus opusculi, quod à capite *Hebdomadale* nuncupavi, sed & motivum, quod me ad id impulit & scopum, quem intendi dijudicanda proponerem.

Notum Tibi sané est, in Seminario Varsaviensi S. Crucis, nec non in reliquis Nostro Instituto concreditis hucusquè præter hebdomadalia studia Cantûs, Cæremoniarum, seu vulgo dicta *Exercitia*, semél quâvis heddomada *Explicationem Scripturæ Sacræ* quæ Scripturistica. *Administrationem Sacramentorum* quæ Casuistica, et *Rubrum Missalis et Breviarii* vulgariter apellata tradita fuisse. Sed recogitanti michi non semél corde, quam exiguus sine libris fructus referatur ex sic dictis *Exercitiis hebdomadalibus*, volventiquè mihi mente, quantum studia Theologica emendari, promoveri, facilioraque Alumnis reddi possent, si quævis *hebdomadalis* Theologica Scientia singulari libellô exhiberetur, hæc cordi meo valida & rapida se insinuabat ôptio, et hoc votum, ut ad meliorem in studiis progressum faciendum prædictis *hebdomadalibus Exercitiis* alia nomenclatura, indigentiis & ætati nostræ accomodatior, alteravé

methodus & ordo alius, si non syſtema sub-ſtitueretur, ac ſic vetera *Exercitia*, aliam meliorem formam induerent. Cumque hæc vota mea digniſsimis Comprofeſsoribus, ac præprimis venerando Præposito panderentur, ſimul & probarentur, juſsus atque zelô in-cenſus hæc *Rudimenta Theologica* conscri-psi, & ad diſtinctionem á Studiis *quoti-dianis* compilationem horum Rudimentorum *Hebdomadale* nuncupavi. Ut verô utilius in poſterum tractentur, melioriquè ordine, et methodo, abolitis vulgaribus denominatio-nibus locô Rubri *Liturgica*, locô Admini-ſtrationis Sacramentorum *Paſtoralis* locô Scripturiſticæ *Hermeneutica* re integra per-manente, & methodo tantum immutatâ tra-detur.

Interim non desideres quæso Bone Le-ctor à me Opus cujusvis scientiæ Theolo-gicæ perfectum, ad id enim conscribendum deerant mihi vires, ingenium, tempus & sum-ptus neceſsarii, sed *Rudimenta* tantum Ti-bi trado, & porrigo, quæ quantilla illa ſint, plus valebunt quam nihil.

Nec Comprofeſsoribus hæc Rudimenta offero, qui fuſiora opera in quâvis scientia légêre, aut legere poſsunt, sed Tyronibus qui ab imis ad altiora tendunt, & delineamen-tis indigent, juxta quæ ope eruditiſsimorum suorum Profeſsorum tandem aliquando cor-pus theologicum conſtruere valeant.

Et quoniam binô cursu Theologia in Varsaviensi Seminario perficitur, ægréque

hæc secundô Annô audiuntur, quæ jam primô dicta sunt. hinc quævis scientia *hebdomadalis* ne ipsâ exigua *manuductione ad Patrologiam* excepta, ad binum cursum protendi debet, sequentibus præmonitionibus præmiſsis.

Patrologia, quæ tantùm ut appendix ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, aut potius ad Articulum de Scriptoribus Eccleſiaſticis *P. Berti* spectari debet, adque quotidiana ſtudia recensenda eſt, ad biennium protrahi poterit, si ad Sæculum XIII. Biographia & Bibliographia, á Sæculo vero XIII. ad finem authoritas Patrum eorumque Bibliothecæ Regulæ eos legendi, explanabuntur.

Imbuti hâc Patrologia alumni Seminarii sané pluris æſtimabunt Eccleſiæ Patres, quam Proteſtantes, qui illorum opera quasi inania aspernantur. & minoris quàm quidem Tyrones, qui effatum Patris cujusvis, quasi Traditionis Divinæ fætum, aut Eccleſiæ deciſionem venditant. Si quis hæc Elementa augere, aut complere desiderat, legat Opus *Melchioris Cani. Wiest* & cæterorum, quos in ipsa Manuductione indicavi.

Paſtoralis Theologia ad biennium protendi poteſt, si primó Annô Ars Pædagogica, Cathechetica, & Exegetica seu Concionatoria, cum quibusdam Paragraphis de Adminiſtratione Sacramentorum, secundo veró Annô reliqua practice tradantur. Namque ita fiet, ut in Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtratione, quæ cardo & caput Theo-

logiæ Pastoralis est, primô annô sistatur, & ab illa secundò annó incipiatur.

Ad complementum Pastoralis legi possunt. Niemeyers Pædagogik und Didaktik als Leitfaden - Defsen Grundsätze der Erziehung für den Lehrer Michael Vierthaler de Pædagogica, De methodo Catechisandi *Schmidt*, *Steinert* De Sacramentorum administratione. *Opstret* Introduction au saint Minister par Monsieur l'Abbe de Mangin. De modo Conciovnndi S Franciscus Salesius. „Hand Bibliotek für Seelforger erster Theil— *Köhlers* Anweifung für Seelsorger— Abt Pochardt Anweifung für Pfarrer„ Tandem *Schwarzel* Augustæ Vindelicorum Theologiam Pastoralem elaboravit.

Liturgica Missæ primo cursu, *Psalmodica* verô secundo annô & cursu absolvi commode & utiliter poterit.

Ad ampliorem eruditionem in re Liturgica comparandam legi possunt Cardinalis *Bona Bouquillot*, *Gavantus*,

Hermeneutica Veteris Testam: primó annó, Novi Testamenti veró secundo annó perfici poterit.

Ad complendam hanc scientiam, legi possunt *Calmet*. *Menochius* *Weitenauer*. Quod me attinet plurimum Hermeneuticam Veteris Testamenti excerpsi ex *Joanne Babor* et *Juliano Monsperger*, Hermeneuticam veró Novi Testamenti debeo Christophoro *Fischer*.

En Lector Benevole! scopum & motivum adornati *Hebdomadalis*. Non docere sed prodesse, non reformare, sed meliorare, non ordinem pervertere, sed stabilire, intendo. Res quælibet mutationi obnoxia, utinam semper in melius mutaretur. Non omnia vetera laudanda, nec nova vituperanda. Percurre ergo lente hoc stadium Studiorum *Hebdomadalium*, donec ad metam desideratam pervenias Suscipe Lector ad expetita vota mea & tua synopsim scientiarum Theologicarum, eaque ad tuam & aliorum salutem utere, & ultra semper progredere, brevia Rudimenta non sperne. Experientia enim compertum est, juvenum animos prolixis operibus potiùs cruciari et obfuscari, quam erudiri, quare brevitati studui, & complementum cujuslibet Studii *Hebdomadalis* diligentiæ & solertiæ Professoris reliqui.

Hac studiorum *Hebdomadalium* emendatione, aut reformatione admissâ, sperandum restat, etiam quotidiana Philosophiæ & Theologiæ moralis ac Dogmaticæ studia ita reformanda fore, ut eliminata formâ Aristotelicâ & calvis speculationibus, *quæ movent magis quæstionem quam ædificationem in Ecclesia Christi* rationis sanæ ac divinæ Religionis doctrina pura ac integra perseveret ac salva.

Vos tandem appello dignissimi Professores! siné quorum favore & labore meus labor & intentum effectu carebunt. Vos etiam rogatos volo; opus inceptum perficite, Rudimentis addite, quæ desunt supplete,

viam monstratam ultro protendite, sternite, dirigite, plantate, ædificate, ut post finitum cursum comprehendere, & bravium laboris accipere possitis. Tantum enim abest, ut correctio & emendatio mihi molesta videatur, incongrua aut inepta, ut potius unicé desiderata, & semper grato animo acceptandam esse profitear. Satis enim mihi solatii erit, viam demonstrasse, licet eam me plantasse haud gloriabor. Multum me fecisse lætabor, si hoc *Hebdomadali* ad annos 50 Vobis & alumnis Seminarii profuturus fuisse comperiar.

Servus obsequentissimus Professor Historiæ Ecclesiasticæ Hermeneuticæ et Pastoralis.

J. A. L A W S.

Congr: Mission: Domus Varsavien: mp.

JNDEX RERUM.

PATROLOGIAE.

Theologia Pastoralis.

ERRATA.

Pag. Vers.		Corrige.
3—28.	eshibet -	exhibet.
5—20.	Ime. - -	Imo.
11—15.	primongenitum	primogenitum.
15—11.	Naziaeno -	Nazianzeno.
17—32.	menasticæ -	monasticæ.
20—24.	S. Hieronymus 240. A.	S. Hieronymus 420. obiit.
25—20.	Joanues	Joannes. 27. assensum.
27.	alsensum -	

Theologia		*Pastoralis.*
29—14.	nou : -	non.
30—25.	perractat -	pertractat.
33— 1.	efficiretur -	efficeretur.
34—16	traduecre -	traducere.
37—12.	frugmenta -	fragmenta.
39—31.	aiiquid :	aliquid.
40— 3.	medulo 15 populu. 18 affoctu	modulo. 15. populo. 18. affectu.
42—25.	communicatoris	communicaturis.
44—11.	subsistende 22. disiniuntur -	subsistendo. 22. definiuntur.
50	muteria . -	materia.
53	Pronuntintio. 15 hominuæ - -	Pronuntiatio. 15. hominum.
57—10.	Chrisii. 22. io eotum - -	Christi. 22. in eorum.
62—28.	consitentem	confitentem.
64—11.	delectis -	delictis.
65—12.	sidei - -	fidei.
66—21.	ostendatur -	ostenditur.

Pag. Vers.	Corrige.
67— 9. euneum 25 po-ragantu	eundem. 25. peragantur.
69—20. quidam -	quidem.
71—12. Confraternitari	Confraternitati.
72— 8. occupattone	occupatione.
74—20. præscriptis	proscriptis.
81—15. Nolenter	Nolentes.
88—15. ost - -	est.
Tabul. I. Linea Collaterali - -	Collateralis.
Eod. Tab. Filins -	Filius.

Minutiora Errata in opusculum irrepta benignus Lector corriget.

APPROBATIO.

Praesentem sacrarum scientiarum synopsim, quibus instructos esse oportet eos, qui se obsequiis Ecclesiæ addicturi sint, omnis erroris immunem esse censeo, aptissimamqué cui sacris literis imbuendi, ceu viam certissimam demonstranti insistant.

Varsaviæ 17. 8bris 1804.

Joannes B. ALBERTRANDI Episcopus Zenopolit: S. Theologiae et SS. Canonum Doctor.

IMPRIMATUR.

de HOYM die 8. Februar: 1805.

MANUDU-

MANUDUCTIO

AD PATROLOGIAM.

Quam Profeſsor Hiſtoriæ Ecclesiaſticæ in Seminario Varsaviensi ad S. Crucem in adminiculum, et ad SS. Patrum Studium promovendum, Auditoribus suis lubenti animô obtulit. Die 4. 7bris 1804. Anno.

cum Scitu Superiorum.

INTRODUCTIO.

Licet teſte *Plinio* seniore nullus sit liber, ex quo aliqua non poſsit eruditio hauriri; scripta tamen SS. Patrum et ecclesiæ Doctorum, singulari modo, non Theologis tantûm, sed etiam cuilibet Chriſtiano, *Spei et* ſidei *quæ in eo eſt* Petr: 3. 15. *rationem reddere* volenti, maximopere commendanda sunt. In operibus SS. Patrum, non agitur equidem de scientiis Mathematicis, Physicis et his similibus, quæ nec tunc temporis prout modo florebant, nec ad materias ab

illis tractatas directe pertinebant: non etiam requirenda est ab illis ars strictioris Critices, in qua saltém plures eorum non rarô hallucinati sunt. Ast quod attinet doctrinam sive Exegeticæ, sive Dogmaticæ, Moralis, Polemicæ, ac Liturgicæ Teologiæ, hæc procuIdubio ex eorum Lucubrationibus, quasi ex fonte et prono alveo haurienda repcriuntur. Nam cum SS. Patres Verbi Divini scripti et traditi custodes sint et depositarij, cum non solûm generalia, sed etiam particularia fidei et moralis doctrinæ capita explanaverint, et in Homiliis, Apologiis, Epistolisque suis de officiis hominis Christiani plurima disseruerint, ac in variis tractatibus multiplicis generis adversarios et fidei hostes authoritate Sacræ Scripturæ, traditionis, ac rationibus philosophicis repressérint; hinc doctoribus populi, ne a recto tramite deviare illis contingat, *pristinam generationem* interrogare incumbit. Authoritas namque SS. Patrum tanta semper fuit in Ecclesia, ut inconsultis illis, nullum dogma statuere, et nihil definire voluerit. In Concilio Nicæno I. *Episcopi congregati non sibimetipsis verba adinvenientes, sed testimonia á Patribus habentes, conscripserunt, ut refert Athanasius.* In Concilio Chalcedonensi, prælectâ S. Leonis Papæ Epistolâ, Episcopi congregati acclamârunt *Hæc est fides Patrum, ita et nos credimus; anathema sit illi, qui non credit ita: si quis fidem Patrum innovat, anathema sit; si quis dissentit anathema sit. SS. Patrum fidem servemus, Athanasium sequimur, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum et Gregorium Nissænum, Ambrosium, Theophi-*

lum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Proclum, Leonem, et omnia quæ ab eis de fide recta et ad condemnationem hæreticorum conscripta et exposita sunt, suscipimus.

Hæc semper fuit agendi ratio Ecclesiæ, in quovis Concilio, Et Tridentina Synodus Sefs: IV. decrevit: *ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum Scripturam ad suos sensus contorqueat, contra eum sensum quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, sacram Scripturam interpretari audeat.* Ex SS Patribus igitur Theologus discere poteſt & debet, quænam de unoquoque dogmate fuerit aut sit Ecclesiæ fides; hæc enim tantûm doctrina morum & fidei pro doctrina ipsius Ecclesiæ seu pro Divina & Apoſtolica habenda eſt, quæ unanimi Patrum authoritate nititur. Non ergo prurientes auribus Casuiſtas, non Theologaſtros, sed Patres & Ecclesiæ Doctores ut divinos duces sequamur, & eo ipso Matrem & Magiſtram noſtram Ecclesiam sequemur. Quia Ecclesia proprie per os Patrum loquitur, Patrum universalis consensus in dogma consentientium, Ecclesiæ fidem eshibet

Hanc ergo prœnotionem de Patrum authoritate præmittendam censui, ut alacri ſtudio Patrum notitiæ incumbentes non deficiatis. Hanc *Manuductionem* vobis ad Patrologiam offero, non quod in tale compendium redacta sufficiens sit ad cognoscendos Patrum characteres, fata & scripta, sed ut hac *manuductione* quasi norma in hiſtoria Ecclesiaſtica addiscenda utamini, quâ cæte-

ris Ecclesiæ Patribus, quorum Biographiam & Bibliographiam hic descriptam non reperietis, ipsimet veſtro alacri animo, et beata sciendi aviditate ſtudere poſsitis.

Hoc ergo munusculum eô quo trado animo suscipite, & vobis mihique gratulabor, si speratum ex eo commodum percipietis.

PROSPECTUS IN PATROLOGIAM
SEU
SCIENTIAM DE PATRIBUS ECCLESIÆ.

Patrologia eſt scientia tractans de scriptis, fatis, & characteribus SS. Patrum, eorumque usu, & authoritate in eruenda ex Verbo Dei Chriſti doctrina. Diſtinctio inter Patriſticam & Patrologiam æque frivola eſt, ac discrimen inter Hermeneuticam ac Exegesim, quia utraque scientia non theoretica tantum, sed practica efse debet. Dari autem Patres & Doctores Ecclesiæ conſtat ex S. Paulo & Psalmo 33 — 11. *Venite filii audite me;* & Eph: 4. — 12. *Ipse dedit Paſtores et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus miniſterii.*

NOTÆ SS. PATRUM.

Ut autem aliquis pro Doctore Ecclesiæ habeatur, vel expreſse in Concilio, vel per Bullam, aut implicite per usum ut talis

declaretur, sequentes requiruntur characteres: 1mo. Doctrina eminens. 2. Vitæ Sanctitas; quibus aliqui ut insignem notam addunt antiquitatem, non tamen omnino necessariam. Nam debent esse *sal terræ*, & *lux mundi* per doctrinam & sanctitatem. Math: 5 — 14. Eorum ætas non nisi ad Sæculum XIII. extenditur, ita ut ad III. Ecclesiæ Sæculum prima Patrum classis, à III. ad VI. secunda, á VI. ad XIII. tertia Patrum Classis claudatur, quo Scholastici Theologi dominatum obtinuere. Non requiritur ad dignitatem Patris, ut sit Episcopus aut Presbyter: *quia Patris nomen est pietatis potius quam potestatis*, *ait Tertullianus*. Sic *Alexander* Episcopus Jerosolimitanus, *Pontaenum*, & *Clementem Alexandrinum* ut Patres Ecclesiæ agnoscit, licet non essent Episcopi.

ORDO INTER PATRES ECCLESIÆ.

Distinguntur inter Patres Ecclesiæ 1me. Doctores Ecclesiæ, qui propter exaratos libros pro Religione, illustriores sunt quam Patres. Ecclesia Græca quatuor colit Ecclesiæ Doctores, qui & majores dicuntur, nempe *Athanasium*, *Basilium*, *Gregorium Naziansenum*, et *Joannem Chrysostomum*. Latina verô *Augustinum*, *Ambrosium*, *Gregorium* et *Hieronymum*. His Pius V. adnumeravit *Thomam Angelicum*, Sixtus V. *Seraphicum Bonaventuram*, et Benedictus XIV. *Leonem M.* *2do.* PP. Ecclesiæ qui sanctitate potius quam doctrina illustres sunt, et privata magis, quam publica doctrina Christo filios pepererunt; licet et iis Ecclesia ex liberalitate sua non rarô tribuat in Offi-

cio divino Doctoris nomen: O! *Doctor optime*! &c. 3*tio*. Scriptores Ecclesiastici, qui de rebus ad Ecclesiam pertinentibus scripserunt, sanctitate tamen carent; ut *Tertullianus*, *Origines*, *Eusebius Cæsariensis*, *Rufinus*, *Socrates*.

Omnium Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum numerus afsurgit ad 112. quorum plures sunt Græci.

SCRIPTORES PATRISTICÆ.

Licet iam *Eusebius* et *Hieronymus* nec non alii de Scriptoribus et SS. Patribus volumina ediderint, systematica tamen Patrologia non nisi post reformata studia, tam á Catholicis quâm ab acatholicis, nempe *Melchiore* Cano, S. *Bonaventura*, *Opstraet* et *Wiest* atque *Gerardo* Acatholico tradita est.

SCRIPTA SS. PATRUM QUOTUPLICIA.

Præter *genuina* SS. Patrum Scripta multa sunt *supposititia* seu quæ alium habent Authorem, quem liber præsefert. Sic S. *Cypriano* scripta *Novatiani* attributa sunt; quod aliquando ex pia fraude fieri potuit, ut de se refert *Salvianus*, qui nomen Thimothei afsumpsit, *ne parvitas ejus Personæ derogaret authoritatem salubribus scriptis*. *Corrupta* tum ab Hæreticis, vel propter ignorantiam Librariorum et negligentiam correctorum, tum quia nulla fuit inter capita et versus distinctio, et non nisi a *Joanne* a Lapide Doctore Parisiensi deinde Carthusiano, Sæculo XV. interpunctionibus libri conscripti fuêre.

Vel omnino deperdita. Sic scripta S. *Irenæi* adversus Gentes deperdita sunt.

Regulæ discernendi Scripta genuina a Supposititiis.

1. Scriptum genuinum eſt, quod ut tale habetur ab omnibus, proxime sequentibus continua serie ætatibus; hinc suppositiius eſt liber *Dionysii* Areopagitæ, quia nullus coævorum aut subsequentium illum commemorat tanquam ejus fætum.
2. Opus, quod Scriptoris ævo poſteriores Ritus, quæſtiones et voces continet, supposititium eſt. Hinc quæſtiones et responsiones ad Orthodoxos S. Juſtino ex pia fraude attributæ, suppositæ sunt, quia in illis mentio fit de Arianis Juſtino poſterioribns.
3. Opus, quod fabulas continet, supposititium eſt, utpote alienum a gravitate Patris Ecclesiæ, ut acta SS. *Pauli et Theclæ.*
4. Opus Latinum, quod Græcum authorem prodit vel viciſsim, supposititium eſt. Hinc commentaria *Origenis* in Job falsa sunt.
5. Unum Opus, ab antiquis Scriptoribus pluribus attributum, dubium eſt, aut supposititium.

De Operibus Patrum impreſsis.

Antiquiſsima Editio SS. Patrum facta eſt Sæculo XV. quando inventa eſt Typo-

graphia, multæ dein tempore Lutheri, Sæculo XVI. novifsime vero XVIII, tam græce, qnam latine, typis imprefsæ sunt. Inter has editiones eminet Roberti, Stephani & Joannis Trobinii: His tamen editionibus antiquis præferendæ sunt recentiores Benedictinorum Congr: S. Mauri, propter notas & difsertationes seu præfationes et Chronologiam.

Bibliothecæ seu imprefsiones SS. Patrum numerantur 23. varijs in locis, uti Lugduni, Romæ, Venetiis, Basileæ. Dantur etiam editiones Patrum particulares v. g. Poeticæ, Dogmaticœ.

PATROLOGIA SÆCULI I.

S. Clemens A. 98. obiit.

Ejus *Biographia*. Fuit III. poft S. Petrum Romanus Pontifex, socius S. Pauli, conftituifse fertur septem Notarios, qui acta Martyrum scriberent. De ejus Martyrio silent scriptores. *Fuit sanctifsimus, profanis scientiis tinctus, Prœco zelosifsimus.*

Bibliographia. Genuina eft ejus Epiftola ad *Corinthios*, quos adhortatur ad obedientiam et concordiam fraternam. Dubiæ autem sunt, 2da Epiftola ad Corinthios et ad Virgines duæ. Decretales vero et Canones Apoftolorum, suppositititii sunt cum Liturgia, juxta Regulas laudatas.

S. BARNABAS.

Ejus *Biographia*. Fuit Levita Judæus in Cypro natus, antea Josephus, unus ex 70.

discipulis, socius S. Pauli, in Patria sua Christi Martyr factus est. Non potest probari historice, quod erexerit Ecclesiam Mediolanensem, et quod Sæculo V. in ejus sepulchro repertum sit Evangelium S. Mathæi ejus manu conscriptum, quia Nicephorus narrator hujus facti, non est coævus scriptor.

Bibliographia. Ejus unica Epistola ad neoconversos, in qua de abrogatione legis Mosaicæ et coutra hostes Trinitatis disserit, dubia est. sapit tamen stylum Apostolicum.

S. HERMAS.

Discipulus fuit S. Pauli, à quo salutatur Rom: 16. — 4. conjugatus, laicus mercator, dein Chiistianus factus — *Ejus Opus est Liber Pastoris*; in quo status Ecclesiæ, præcepta pietatis, similitudines ad mores continentur: publice quidem legebatur, non est tamen canonicus

S. DYONISIUS AREOPAGITA.

S. Pauli discipulus et Martyr, Atheniensis, nunquam fuit Episcopus Parisiorum; é nobili Judicio *Areopagus* dicto, Areopagita nominatus.

Bibliographia. Sub ejus nomine circumferuntur: liber de Cælesti Hierarchia, seu de ordinibus angelorum, de Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis nominibus, Mystica Theologia, sed ejus non sunt ex dictis.

Cætera primi Sæculi scripta.

Epiſtola ad Diognetum de capitibus Religionis Chriſtianæ, S Juſtino attributa.— Acta Martyrii S. Andreæ, ut in Breviario reperiuntur, dubia sunt. Opus Patriarcharum XII. in quo S. Scripturæ Divinitatique Chriſti adversa, inveniuntur. De vita miraculis, aſsumptione S. Joannis Baptiſtæ, sub nomine *Prochori* supposititia sunt. Duo libri de paſsione SS. Petri et Pauli multa falsa et Apoſtolis indigna continent, et falsò S. *Lino* tribuuntur. Libri decem de certamine Apoſtolorum, et duæ Epiſtolæ S. Martialis, ob fabulas risu dignas supposititii sunt.

II. ECCLESIÆ SÆCULUM.

S. Ignatius 116. *A.*

Biographia. Antea Theophorus dictus S. Joannis discipulus, Episcopus Antiochenus, dicebat sæpe: *amor meus crucifixus eſt*, Romæ leonibus obiectus, et oſsa ejus Antiochiam dein Conſtantinopolim advecta sunt. *Vir Apoſtolicus, Sanctus, Deum in pectore gerens, Religionem Chriſtianam incredibili zelo promovit.*

Bibliographia. Genuinæ sunt ejus Epiſtolæ septem, ad Ephesios, Magnesianos, Philadelphios, Smyrnenses, Romanos, Policarpum, Trallianos; ubi de utilitate Orationis, Myſterio Incarnationis, vitando consortio Hæreticorum agit, ad obedientiam Episcopis, Præsbyteris et Dióconis adhortatur, et S. Policarpo monita dat pascendi gregem.

Supposititiæ sunt Epiſtolæ ad B. Virginem et S. Joannem Evang: ad Philippenſes, et Liturgia.

S. Polìcarpus 169. A.

Biographia: Fuit Episcopus Smyrnenſis, discipulus S. Joannis Apoſtoli, apud Anicetum Papam fuit, ut unionem conservaret inter Romam et Aſiaticas Ecclesias ob diversitatem ritus in celebrando Paschate. Smyrnæ ignibus iniectus, *Vir Sanctus, Apoſtolicus, non patiebantur Smyrnenses ut calceos sibi detraheret, sed concurrebant ut pedes ejus oscularentur. Jta abhorrebat ab erroribus, ut diceret sæpe: bone Deus in quæ tempora nos reservaſti. Marcionem, primongenitum diaboli dicebat.*

Bibliographia. Epiſtola ad *Philippenſes* de juvenibus, Viduis, et conjugatis tractat. Fragmenta quoque Responsionum capitulorum S. Policarpi genuina sunt. Supposititia verô: Doctrina S. *Policarpi*, item Epiſtola ad *Athenienses*, et mors S. *Joannis.*

S. Justinus 163. A.

Biographia. Fuit Philosophus Platonicus, in Palæſtina natus, ex lectione S. Scripturæ et colloquio cum Sene quodam disparente, ſtatim ad ſidem converſus, contra Gentiles, Judæos, et Hæreticos decertavit pro ſide. A Philosopho Cynico *Crescentio* inſidiose accusatus, Martyr obiit. *Vir Sanctus et Apoſtolicus, eruditus hiſtoricus: ejus Stylus non eſt fluidus, sed Philosophicus et liber.*

Bibliographia. Apologia pro Christianis, una ad Antoninum Jmperatorem, altera ad Senatum Romanum. Dialogus cum Tryphone Judæo, de veritate Christianæ Religionis, Exhortatio seu Paraenesis ad gentes, oratio ad Græcos, in qua rationes enarruntur, ob quas Christianus factus est. De Monarchia seu unitate Dei, opera ejus genuina sunt. Supposititia verô: eversio dogmatum Aristotelicorum, Responsa ad quasdam quæstiones, Expositio fidei de consubstantiali Trinitate.

S. *Athenagoras.* 170. *A.*

Fuit Atheniensis, gentilis, ex lectione Scripturæ ad fidem conversus. Mortis ejus genus ignotum. *Fuit accrrimi ingenii Vir, singularis eruditionis, incredibilis studii in rem Christianam. Stylus sublimis.* Scripsit apologiam M. Aurelio, et de Resurrectione mortuorum. Liber autem de vero et perfecto amore supposititius est.

S. *Theophilus.* 186. *A.*

Gentilis, ex lectione Scripturæ, Christianus, dein Episcopus Antiochenus factus est. *Vir S. strennuus in defendenda Religione, in omni eruditionis genere versatus et eloquens.* Scripsit tres libros ad Autolicum gentilem, de veritate Religionis.

SÆCULUM III.

Tertullianus 220. *A.*

Biographia. Quintus Septimius Florens Tertullianus Carthaginensis, Professor Rhetoricæ, et Advocatus causarum, ad fidem sincere conversus est. Uxoratus, Presbyter, senex, á Religione invidiâ et contumaciâ Romanorum Clericorum, ad Montanistas defecit. *Fuit austerus, rigidus, vehemens, unus ex eruditissimis Scriptoribus, sed parum in eloquentia facilis et comptus, sæpe obscurus.*

Bibliographia. Scripsit ante *defectionem* pro Christianis, ad nationes, de estimonio Animæ, Spectaculis, Idololatria Oratione Dominica, Baptismo, Pænitentia, duos libros ad uxorem, ad Martyres, Judæos: Post *defectionem*, de corona militis, in quo dicit, nón licere Christianis gestare lauream Castrensem, ex ritu sacrorum gentilium. De cultu fæminarum, patientia. velandis Virginibus, cástitate, pudicitia, jejunio, anima, fuga in persecutione, carne Christi, Resurrectione, contra Hermogenem, Praxeam, Marcionem, Valentinianos. de Pallio ob quod derisus fuit a Cathaginensibus.

Origenes. 254. *A.*

Biographia. Propter instantiam laborum, fortitudinem in adversis, dictus *Adamantinus.* Natus Cæsareæ in Palæstina ex Christianis Parentibus Quotidie à Patre jussus, quædam loca scripturæ S. recitabat,

Dum autem Pater ejus *Leonidas* ad Martyrium duceretur, Origenes 17. Annorum juvenis, illum adeo sequi in campum martyrji desiderabat, ut Mater ejus ſubductis veſtibus zelum ejus moderaretur Scripſit tamen ad incarceratum Patrem: *Vide ne propter nos liberos in egeſtate relictos, relatis opibus in fiscum aliud velis.* Anno 18 ætatis suæ factus discipulus Clementis Alexandrini, & in Catechesi ſucceſsor, ad fugandas tentationes ortas ex converſatione cum altero ſexu, se caſtravit, ex male intellecto ſensu Math. 19 — 11. Totam diem in Schola transegit, & noctis partem ſtudio S. Scripturæ & Philoſophiæ tribuebat, ſomnum plerumque humi non in ſtrato capiens. Multos infideles ad fidem perduxit, a quibus multa perpesſus eſt. Cum Presbyter ab alio Episcopo ordinaretur, *Demetrius* Episcopus Alexandrinus eum excommunicavit, non propter hæreſim, sed quia illo loquente, omnes muti putabantur, *Hieron.* Ceſareæ publice Scripturam docuit, & ſub *Decio* accerbiſsima pro Chriſto tormenta pertulit. 69. ætatis suæ A. mortuus eſt. *Fuit severæ virtutis, fortis, vividæ, amplæ, ac fusæ imaginationis. Stylus ejus nitidus et efficax, octo librariis simul dictavit.*

Bibliographia. S. Hieronymus de scriptis *Origenis* dicit. *Quis noſtrum tanta poteſt legere quanta ille conscripsit?* Scripſit 1. Epiſtolas, 2 de principio Religionis, 3 Oratione, 4. Martyrio, 5 contra Celsum libros octo. 6 Exegesim in totum fere V. Teſtamentum, 7 Collectiones variarum Verſionum, ſub nomine Tetrapla, Hexapla, Cætera supposititia sunt.

DE DOCTORIBUS ECCLESIÆ GRÆCÆ.

S. Athanasius 373. mortuus.

Biographia. Natus Alexandriæ in Ægipto, primo Diaconus dein Episcopus Ecclesiæ Alexandrinæ ordinatus, præsens fuit Concilio Nicæno, adhuc tanquam Diaconus, multa ab Arianis pasſus, a quibus non semel de ſede Episcopali deturbatus, et in exilium pulſus fuit. Character ejus describitur a S. Gregorio Naziazeno: *quod erat humilis, irâ vacuus, sermone suavis, sed moribus suavior, increpando tranquillus, laudando doctus. Stylus ejus videtur eſse simplex et nudus, sed perpensis, propius rebus, mira cum arte compositus.*

Bibliographia. Duæ Orationes contra Gentes, Expoſitio fidei: Tractatus in verba Chriſti: *Omnia tradita sunt mihi a Patre.* Epiſtola de ordinatione Piſti et Gregorii Arianorum. Contra Arianos, de Decretis Nicænis, de Sententiis Dionysii Alexandrini. Ad Dracontium Episcopum ut ad Ecclesiam revertatur ex fuga, ad Episcopos Ægypti. Apologia ad Conſtantium Imperatorem, Pro fuga ſua, Hiſtoria Arianorum, Epiſtolæ & Orationes. 1mo Tomo continentur. 2do verô Tomo variæ Epiſtolæ, vita S. Antonii abbatis, liber de Trinitate & Spiritu S. & Commentaria in Scripturam.

S. Basilius 378. A.

Biographia. Cesareæ in Cappadocia Christianis Parentibus nätus, hujus Civitatis Episcopus creatus fuit. Arianis et Valenti Jmperatori infensus, ob præclara merita *Magnus* dictus. Habuit S. Gregorium Nyssenum Episcopum fratrem, Nazianzenum autem Socium in Scholis et in solitudine. *Erat vir S. et in omnibus libris callentissimus; Stylus ejus elegans, ad persuadendum efficax, et inaffectatus.*

Bibliographia. Ejus opera 3bus Tomis continentur, Editione Prudentii Maran: 1mo Tomo Homiliæ IX. in Hexaemeron et XIII. in Psalmos. Libri V. contra Eunomium de Divinitate Christi et Spiritûs S. 2do Tomo Homiliæ 24. de diversis, Ascetica, Ethica et moralia. 3tio Tomô Liber de Spiritu S. Epistolæ Canonicæ tres de disciplina, et Epistolæ 428. ad diversos continentur.

S. Gregorius Nazianzenus. 389. A.

Biographia. Ab ignobili Oppido Cappadociæ ubi natus S. Gregorius, dictus Nazianzenus et Patri suo Episcopo Nazianzeno propter ejus decrepitam ætatem datus est Coadjutor; postquam Alexandriæ, et Athenis studia frequentasset. Electus quidem fuit Episcopus Constantinopolitanus, sed ob exortas contentiones Sedi cessit, et Poeticis lucubrationibus se dedit. Mortuus ætatis suæ 65 Anno. *Fuit vir vitâ et docrinâ incomparabilis, qui quod docuit fecit, apertus*

tus et simplex. Stylus ejus grandis et Majestate plenus; ut hæreticum putaretur ab eo dissentire: dictus Theologus.

Bibliographia. Ejus opera continentur duobus Tomis, Editionis Parisinæ, 1630. In 1mo sunt Orationes 45. polemicæ, morales, asceticæ, panegyricæ, funebres, Theologia, Epistolæ 145 Tractatus de fide, de 4, animalibus Ezechielis, et Paraphrases in Ecclesiasten. In 2do Tomo: Initia Epigrammatum 128. græcorum reperiuntur. Tragedia verô de Christo patiente est suppositittia.

S. JOANNES CHRYZOSTOMUS 407. A.

Biographia. Joannes ob flumen eloquentiæ Chryzostomus dictus, Patriâ Antiochenus, cultor Philosophiæ, ac Eloquentiæ; relictô forensi studiô, Christianus ac Monachus factus est: Præcipué S. Scripturæ studuit, ac Lector, Diaconus, Presbyter, tandem Episcopus Constantinopolitanus, post Nectarium creatus fuit; sed propter zelum Religionis et propter invidiam inimicorum, jussû Eudoxiæ Jmperatricis in Bythiniam bis relegatus est, mortuus in exilio 53. annos natus. *Fuit austeræ vitæ, severitatem tamen cum humanitate conjunxit, in omni fere disciplina eruditus, et Ecclesiæ Demosthenes dictus. Stylus ejus sublimis, purus et grandis.*

Bibliographia. Duo libri ad *Theodorum* Episcopum, et tres contra impugnatores vitæ monasticæ, comparatio Regis et Monachi, de Sacerdotio, Virginitate, Providentia, compunctione cordis, de non anathematizandis vivis et defunctis, continen-

tur Tomo 1mo. Homiliæ de diabolo, Pænitentia, de Sanctis, et Cathecheses. 2do. Tomo; Epiſtolæ et Homiliæ in Scripturam, 3tio Tomo usque ad 13. continentur.

DE DOCTORIBUS ECCLESIÆ LATINÆ.

S. AUGUSTINUS 430. *A.* *mortuus.*

Aurelius Auguſtinus. Tagaſtæ in Numidia natus Chriſtianis Parentibus, per annos 9. Manichæis adhæsit, sed lacrymis Matris *Monicæ* et sermonibus S. Ambrosii, quos ex curiositate audierat, ad fidem conversus eſt. Bienniô inter Catechumenos exactô, baptisatus Mediolani à S. Ambrosio, in Africam reversus, ubi à Valerio Hypponensi Episcopo primó Presbyter, et eô vivente adhuc Episcopus consecratus fuit, ut illi eſset Adjutor. Mortuus eſt inter preces et lacrymas, 76. annos natus. *Erat acuti et feracis ingenii, laboris patiens. Theologorum Moralium Parens; Stylus ejus facilis et clarus, magis tamen expeditus quam elegans*

Bibliographia. Tomus 1mus continet duos libros Retractationum, 13 Confeſsionum, 3. contra Academicos, quos impugnat. De beata vita, de Musica, Rythmis, de vera Religione. Tomus 2dus 270. Epiſtolas. 3tius Hermeneuticam. 4tus Exegctica seu enarrationes in Psalmos. 5tus Sermones. 6tus. Quæſtiones varias de Divinatione, Monachis, mendacio, bono conjugali et de Cathechesi continet. 7mus de Civitate Dei,

seu de Religione. 8vus de Hereticis variis, puta Fausto, Fortunato, Manichæis, Priscillianistis, tum de Judæis. 9nus contra Donatistas. 10mus contra Pelagianos, de origine Animæ, prædestinatione, Gratia, libero arbitrio, 11mus continet vitam S. Augustini et Indicem. *Editio Blampini.*

S. AMBROSIUS 397. A. mortuus.

Biographia. Ambrosius idem est ac immortalis, in Gallia natus, primó causarum Patronus, dein insignibus Consularibus ornatus, Liguriæ et Æmiliæ Gubernator, dum exortas discordias in electione Episcopi Mediolanensis componeret, ipse Episcopus, licet adhuc Catechumenus omnium consensu electus est. Mortuus est 64. annos natus. *Fuit græcè et latiné doctus, omni genere virtutis venerabilis, Judæis, Gentibus et Hæreticis resistens. Stylus ejus concisus, facundiam Senecæ imitatur, et dictioni ejus inest modesta jucunditas.*

Bibliographia. Primô Tomô continentur libri quinque in Hexaemeron, liber de Paradiso, de Jsaac et anima, de Jacob et vita beata, de Josepho, Tobia, Naboth, fuga sæculi; bona morte, Arca Noe, Cain et Abel, benedictionibus Patriarcharum, Expositiones in Psalmos, et Evangelium S. Lucæ. Tomô 2do. de Officiis Clericorum, Virginibus, Mysteriis, Pænitentia, Fide de Spiritu S, de excessu fratris Satyri, seu orationes funebres, et Epistolæ *juxta editionem Maurinorum.*

S. GREGORIUS MAGNUS 604. A.

Biographia. S. Gregorius M. Romæ illuſtri familiâ ortus, Romæ Præfectus dein Monachus factus eſt. A Pelagio II. Legatus Conſtantinopolim deſtinatus, multúm laboravit pro reuniendis Græcis. Ordinavit Liturgiam, Angliam convertit, Cantum introduxit in Ecclesiam Gregorianum dictum, podagrâ obiit. *Fuit vir Sanctus, humilis, eloquens, literas profanas aversabatur, nimis in allegoriis subtilis. Stylus ejus non eſt vivus, et sublimis, verus tamen et solidus.*

Bibliographia. 35. Moralium Libri in Job, duo libri in Ezechielem, et duo in Evangelia. 1mo Tomô continentur. 2do Tomô Liber Paſtoralis curæ ad Episcopum Ravennatensem, quatuor libri Dialogorum, 12. libri Epiſtolarum 480. continentur. 3tio denique liber Sacramentorum, Antiphonarium, Benedictionale et Hymni, et expositio in quosdam libros S. Scripturæ, 4to Vita S. Gregorii & expositio Novi & Veteris Teſtamenti, ex ejus operibus collecta reperiuntur.

S. HIERONYMUS 240. A.

Biographia. In Dalmatia ruſticano in tugurio Chriſtianis quidem Parentibus natus, Romæ tamen adultus baptisatus eſt. Apud *Damasum* Papam munere scribendarum Epiſtolarum functus, adeó celebrabatur, ut quasi oraculum totius Orbis consuleretur, & contra Hæreticos ut leo pugnaverit. Obiit in eremo Bethleemitica 91. annos natus.

Fuit summi & fervidi ingenii vir, post Originem in SS. Scripturis doctissimus, Hebraicæ, Græcæ, Syriacæ, Latinæ & Chaldaicæ linguæ peritissimus. Stylus ejus elegans et efficax.

Bibliographia. Versiones Latinæ Bibliorum, cum notis & prologo, 1mo Tomô. De Interpretatione Nominum Hebraicorum, de situ locorum hebraicorum, Epistolæ 18. criticæ & homiliæ duæ in Cantica. 2do Tomô. Libri 18 Commentarii in Isaiam & cæteros Prophetas. 3tio. Tomô; In cæteros Novi Testamenti Libros commentaria. 4to Tomô. Tandem exhibentur Epistolæ, Tractatus contra hæreticos Luciferianos, Vigilantium, Jovinianos, Volumen de scriptoribus Ecclesiasticis, & dialogus contra Pelagianos secundam partem Tomi 4ti claudunt. Vitam verô S. Hieronymi 5tus Tomus complectitur, *juxta editionem Martianæi.*

S. THOMAS AQUINAS 1274. A.

Biographia. S. Thomas Neapolitanus Dominicanus, Alberti Magni discipulus, primus fuit ex mendicantibus, qui una die cum S. Bonaventura. Doctor Theologiæ crearetur; quam cum Aristotelica Philosophia Lutetiæ, Bononiæ, Romæ, Neapoli, Pisis & Fundis cum eruditionis laude docuit. Docendo, scribendo, concionando de Ecclesia bené meritus est. In tinere ad Concilium Lugdunense II. obiit 50. annos natus. Fuit summæ authoritatis & humilitatis vir, ad eruditionem Divinam & humanam solus linguarum & eloquentiæ defecit usus. Dicunt

animam Auguſtini migraſse in Thomam. *Stylus ejus brevis & preſsus, paucis multa dicit.*

Bibliographia. Priores 5. Tomi exhibent commentarios in Ariſtotelem, 6tus & 7mus in Petrum Lombardum, 8vus quæſtiones disputatas & quodlibetica seu diversi argumenti: 9nus Summam contra Gentes pro veritate Religionis. 10mus, 11mus. 12mus Summam Thelogiæ in tres partes divisæ, continent. 13tius, 14tus, 15tus. 16tus. Expositionem S. Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti. 17mus Opuscula Theologica & 18vus Tabulam in omnia S. Thomæ opera complectitur. Spuria opera S. Thomæ sunt: Commentaria in Genesin, de Regimine Principum, & Commentatio in Dionysium.

S. BONAVENTURA 1274. A.

Biographia. S. Bonaventura Florentinus, Ordinis S. Francisci, Episcopus Albanensis, & S. R. E. Cardinalis fuit. In Concilio Lugdunensi poſt 4tam Seſsionem obiit annô ætatis suæ 53. Fuit Reſtaurator Monaſticæ disciplinæ, pro pace & concordia Eccleſiæ indefeſsus Scriptor, profundus sublimis, discretus. Ejus Theologia sola Ingolstadii ab initiis traditur

Bibliographia. Pharetra seu loci communes ex SS. Patribus, Breviloquium, & centiloqnium, ubi de quæſtionibus Theologicis, de Eccleſiaſtica Hierarchia, de Virtutibus Cardinalibus, & vitiis capitalibus, de regimine animæ, expositio Miſsæ, Officium de Domini Paſsione, de Fratribus

minoribus, de Compositione seu Reformatione hominis, Regula Novitiorum, expositio in Scripturam, Epiſtolæ & sermones diversæ & sententiæ, Laus B. M. V. & Psalterium ejusdem exhibentur.

S. LEO MAGNUS. 467. A.

Biographia S. Leo Romanus Hæresis Neſtorianæ & Eutychianæ debellator, Attilam Hunnorum & Gensericum Gothorum Regem, Romam vaſtare paratos, eloquentiâ suâ compescuit *Fuit dotibus ingenii, prudentiâ ac vigilantiâ Paſtorali præditus. Stylus ejus politus eſt ornatusque.*

Bibliographia. Sermones 100. varii argumenti, Epiſtolæ 141 ad diversos, sunt genuina ejus opera. Cætera dubia aut supposititia sunt.

S. BERNARDUS 1153. A.

Biographia. S. Bernardus Doctor mellifluus dictus communiter. in Burgundia nobili genere natus, cum quatuor fratribus & Patre ad conditum nuper Ciſtercii Monaſterium advolavit, & hæc initia Ordinis ita auxit, ut Abbas Clarevallensis, & 160. Monaſteriorum Parens factus sit; Pater Patriæ propter susceptos labores, & Reſtaurator unitatis Ecclesiæ propter extinctum Schisma, & debellatas hæreses dictus eſt. Mortuus ætatis suæ 62. annô. Character ejus eſt sequens: *Solitudinis amans, Summorum Pontificum cordatus Monitor, literis humanio-*

ribus tinctus, et Augustini æmulator. Stylus vividus, pressus, cogitationes sunt sublimes, & discursus jucundi.

Bibliographia. Epiftolæ 419. Libri quinque de Consideratione ad Eugenium III. Tractatus de moribus & Officio Episcoporum, de Præcepto & dispensatione, Laus Templariorum, de gradibus humilitatis & superbiæ, de diligendo Deo, de gratia & libero arbitrio. Tractatus de S. Victore, ubi ad dubia de Baptismo & alia ab Hugone proposita respondet, cui librum scripsit, de vita & geftis S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ, de cantu & correctione Antiphonarii Ciftercienfis; 435. Sermones diversi argumenti, item 86. Sermones in Cantica, Sententiæ & formulæ Confeffionis privatæ, & Officium de S. Victore sunt genuina ejus opera.

Simili modô in Hiftoria Ecclesiaftica de cæteris Ecclesiæ Patribus & Scriptoribus difseretur, Hæc interim pro manudnctione sufficiant.

SS. Patrum Authoritas in exponenda S. Scriptura et Fidei rebus.

I. Recentiores S. Scripturæ Interpretes, Patribus Ecclesiæ præferendi sunt, quia ad subsidia Patrum serius inventa & peritiam criticam addiderunt, & linguæ peritiam.

II. Nullus Patrum Ecclesiæ infallibilis eft, quia tantum Verbum Dei & decisio Ecclesiæ in fide & moribus infallibili-

tate pollet. Nec de fide eſt omnes PP. consentientes infallibiles eſse.

III. Unius Patris Sententia rem aliquam nonnisi probabilem facit, non vero certam, Alius enim aliô doctior eſt.

IV. Qui recedit ab unanimi Patrum conseusu, non omnino recedit ab Ecclesia, si ſtricte loqui velis, quia aliud eſt, teſtes fidei non sequi, aliud Judicem Ecclesiam deserere.

V. Unanimis Pattum consensus quoad dogma vel explanationem S. Scripturæ tenendus eſt ex Tridentino, non vero omnino tenendus eſt si nec fidem nec mores spectat, seu ut ajunt in adiaphoris.

VI. Allegorica explanatio Scripturæ SS. Patrum non eſt tenenda, licet non culpanda: *vg.* Petrus Synagogam, Joaunos Ecclesiam significavit *S. Gregor.*

VII. Si Pater loquitur ut privatus Doctor juxta suam opinionem non plus valet quam probat, si vero ut Doctor publicus, Nomine Ecclesiæ, *vg. credimus, confitemur ait*, omnem meretur fidem.

VIII. Pars major Patrum meretur quidem aſsensum præ minori, sed certitudinem non parit.

IX. Generalis approbatio alicujus Patris non tribuit certitudinem, sed tantum probabilitatem. Imo nec specialis approbatio S. Auguſtini de gratia & libero arbitrio tribuit infallibilem authoritatem sed moralem tantúm.

X. Specialiſsima seu definitiva approbatio alicujus patris quâ Opus ut fidei norma proponitur, illud reddit infalli-

bile, *vg.* XII. Anathemismi S Cyrilli Alexandrini & S. Leonis Epiſtola contra Eutychetem.

XI. Si SS. Patres non consentiant, licitum eſt etiam in quæſtionibus fidei & morum recedere ab illis.

Regulæ observandæ in lectione et usu SS. Patrum. Ex parte Operis et Authoris.

Scriptum Patris Ecclesiæ debet eſse genuinum. Editio emendatſsima. An perseveraverit in Ecclesiæ communione? Quo tempore & quomodo vixit, & quid scripsit, in quibus circumſtantiis & contra quem. — Quânam Philosophiâ usus eſt? Legendi in lingua originali à principio usque ad finem. Præſtantiores & Apoſtolis viciniores seligendi. Termini, Phrases hujus ævi intelligendi sunt.

Ex parte legentis.

Proponat sibi certum finem legendi *vg* vel ob dogma aliquod ſtabiliendum, vel ad inveniendum sensum literalem textûs, vel disciplinam. Liber sit a præjudiciis, in arte critica bene versatus, & notitiâ Theologiæ bene imbutus. Locutiones Patrum duras non corrigat sed benigne exponat *vg.*

de Spectaculis. Obscura loca ex fide Ecclesiæ & coævis Scriptoribus, exponenda *vg*. Homo Dominicus, Christus. Unus locus ex pluribus ejusdem Patris, non plures ex uno exponendi sunt. Attendendum num ex suâ an alienâ mente, an opinando an asserendo dicat.

THEOLOGIA PASTORALIS
AD USUM
SEMINARII VARSAVIENSIS
APUD
SAACTAM CRUCEM CONTRACTA
Die 21. Septembris 1804.

§. 1.

Notio Theologiæ Pastoralis.

Prælectiones Theologicæ in Seminariis plerumque tractantur theoreticé. Alumni in Praxi Sacramentorum, Catecheseos, Concionum & vitâ Ecclesiasticâ instituenda, finitô Cursu numerosas offendunt dificultates, quibus solvendis sunt impares. Quare operæ pretium visum est, practicas Theologiæ Regulas contractum iri ad bene obeundum munus Ecclesiasticum, ut Tyrones finitô Seminariô non tantum sint Sacerdotes, qui pro suis & populi delictis dona & Sacrificia offerant, sed etiam ut sint veri populi *Doctores et Pastores in opus ministerii, in consummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Xti* (Ephes 4 — 12.)

§. 2.

Discrimen Pastoralis à Morali et Dogmatica Theologia.

Traduntur equidém in Cursu Theologico egregiæ docendi, vivendi, & resolvendi Regulæ, negari tamén nequit, pasſim hanc disciplinam absolvi modo scholari, ejusque munus esse, definire, dividere, concedere, negare, probare. Absolutâ Theologiâ Tyro Sacerdos sæpe nescit, quid, aut quando, quomodo, dicendum aut faciendum. Ast Theologia Pastoralis est usus Regularum & Prælectionum magis consistens in opere quam sermone, ut Theologus jam nou sit Tyro sed Magister in Jsrael. & exemplô sui Ducis & Pastoris doceat simul expedite & faciat.

§. 3.

Officium Pastoris.

Bonus Pastor cognoscit oves suas, et ponit animam suam pro illis. Joan: 10 — 11. *Jnvigilat illis quasi rationem redditurus.* Hebr. 13 — 17. *Pascit eas verbô et exemplô non coacté, sed liberé, non dominans, sed forma gregis factus ex animo.* Petri 5—2, Hinc non supersedet semel & iterum prædicare, aliquoties infirmum visitare, Missam cantare, *sed omnibus omnia esse vult ut omnes faciat salvos,* Cor 9 — 22. *Ocu-*

lus cæco, *pes claudo*, *Pater Pauperum* Job. 29 — 15. *Nocte & die non cessat monens Paræcianos suos Act: Apl:* 20 — 31. Non dantur enimvero permanentes reditus pro brevi labore, nec perpetuæ sunt Fundationes pro transitoria obligatione. Ad quid enim tot minæ Prophetarum ad Sacerdotes Jsrael, & tot monita Episcoporum ac Conciliorum ad Vicarios Christi si unâ ac alterâ Exhortatione, Sacramenti Administratione, totum Officii Pastoralis munus impleri putaremus!

§. 4.

Partitio Tractatus.

Tam in veteri quam novo Testamento Pastores gregem suum pascere obligabantur: Hanc vero obligationem nonnisi triplici modô exequi poterant, videlicet *Verbô*, *Sacramentis et Exempló*. Si Pastor *Verbo* gregem suum pascere intendit, non debet Cathecheses & Conciones intermittere. Si *Sacramentis*, Sanis et ægris, Græcis & Barbaris debitor atque omnibus præsto esse debet. Si *Exemplô*: nulli scandalo imo omnibus norma vitæ Christianæ esse debet. Atque hæc sunt, quæ Theologia Pastoralis perractat, quæ proinde in tres Partes dividenda est, quarum *Prima* de modo Docendi, *Secunda* De Administratione Sacramentorum, *Tertia* de exemplari vita Pastoris aget.



PARS PRIMA
DE
OFFICIO DOCENDI.



Quoniam experientiâ teste, non quilibet, qui in Schola docet, aut in Ecclesia catechisat, aut prædicat, id effectu præstat, quod intendit, & superstitibus licet optimis Instructionibus de Methodo docendi, multi tamen irrepserunt nævi & defectus in munus Docendi, sive in Scholis quarum Inspector aut Director esse deberet Pastor, sive in Ecclesia ubi propria est ipsius Docendi Cathedra, idcirco ad uberiorem fructum producendum præsentem Partem in tria Capita dividere placuit, quorum *Primum* de methodo Docendi in genere, *Secundum* de methodo Catechisandi, *Tertium* de Modo Concionandi tractabit.

CAPUT PRIMUM
DE
Methodo Docendi in genere, seu de Arte Pædagogica.

Quod si millia Pædagogorum decem haberetis in Christo, sed non multos Patres ajebat Paulus. Cor. 4. — 14. Quibus verbis certé non redarguit officium Pæda-

gagi, etsi magis Patris munus comendet. Non efset indecorum Parocho, obire munus Pædagogi exemplô tot egregiorum Sacerdotum & Religiosorum, si graviora negotia non urgerenc & functionibus ftatûs continuô huic salubri operi incumbere non præpediretur. Quidquid fit, Paftor semper eft omnium Paræcianorum & ubique Doctor. Etsi Pædagogum agere non pofset, Pædagogum tamen noscere & illi invigilare expediret, artemque callere, quâ boni cives & boni Chriftiani etiam in Scholis formentur. Qua propter nefas eft, ignorare qualitatem Pædagogi, Ordinem & artem docendi, ejusque methodum aut Vitia & cætera hujusmodi, quæ ad quodlibet genus docendi concurrunt.

§. 5.

Qualitas Docentis.

1. Docens non solum inftructus sit solidé scientiis, quibus alios imbuere intendit, sed sit comptus, morigeratus, quo juvenum animos ad se trahat. 2. Quolibet tempore & locô sit aptus & paratus ad Docendum ut non é memoria aut mechanicé docere dignoscatur. 3. Noscat scopum suæ Functionis, & se Patrem efse et Doctorem suorum Auditorum recordetur, nec credat alios tam inepté aut mechanicé inftituendos efse, sicut forte ipse Pædagogus inftructus fuit. 4. Noscat fuos auditores, ut pro eorum capacitate necefsitate omnibus semper loqui, omnesque inftituere pofsit. 5. Non misceat jocosa seriis, nec sacra profanis, nec operibus verbis contradicat

dicat quia *efficiretur sensibus puer, cum malitia parvulus esse debeat; & si aliis linguis & labiis loqueretur, non cum, exaudirent* juvenes & senes 1. Cor. 14—26. 6. Nunquam plus exigat, quam posint Auditores, non multa doceat, sed multum, lenteque ad metam festinet.

§. 6.

Ordo Docendi.

Non in Schola tantum, sed & in Ecclesia ordo est anima rerum, multumque confert ad attentionem & profectum. Quapropter non tantum pueri a puellis, sed adolescentes ab adultis etiam separandi sunt, nt nulla detur in Cantu, Oratione, aut Instructione indecori aut distractionis occasio; imo quælibet ætas pro sua capacitate intenta sit iis, quæ fiunt, ut instructio comodius cuilibet applicari posit. Juvenes enim nec in schola tam diu quasi in carcere retineri posunt quam adulti, nec illis hæc inculcanda sunt; quæ vix ab adultis percipiuntur Quapropter Docens non locum tantum & Personas, sed & Instructionem ac Devotionem rite disponere debet, ut magis tam ad Scholam quam Ecclesiam frequentandam alliciantur.

§. 7.

Ars Docendi.

Sicut non omnis, qui legit, callet artem legendi, ita non quivis Docens artem Docendi callet. Qui, quod legit, intelligit,

sentit, & aliis lecta communicare valet, artem non Mechanismum legendi callet, quia eo legente audiunt omnes, respirant lenius, & audientes quasi aves in silentio percepta repetunt, dum econtra male legentem nec audiunt, nec percipiunt. Sic à pari callens methodum Docendi, omnium animos ad se convertit, omnes instruit, & instruendo avidiores ad audiendum efficit, dum mechanicus Pædagogus fastidium generat auditoribus, & eos sopore premit. Pædagogus peritus in arte aliter juvenes, aliter adultos instruit. Scit junioribus inesse naturâ aliqnam curiositatem, hanc acuendo, eos lucrifacit. Econtra vulgum temporalibus ad Spiritualia traducere bené novit. Generaliter potius Exemplis & Factis quam verbis instruit, quia *in omnibus fere minus valent præcepta quam Experimenta ait Quintilianus.*

§. 8.

Nævi et Vitia in docendo.

Nimia Severitas, Impatientia & præcipitantia inveterata sunt Pædagorum vitia. Hæc volens declinare Pædagogus, nunquam se terribilem in Docendo ostendat, sed affabilem ac amabilem; quia non est Judex aut Dominus suorum Auditorum, sed Medicus. Non sunt ergò cum jactura Pudoris aut Innocentiæ puniendi pueri in Schola, sed Morigeri laudando remunerandi, Improbi privatim monendi, vel publicé increpandi & confundendi, ut Educationis aut Juventutis vitia emendent. Imprimis vero fontem, aut

causam vitii ut sagax Medicus inquirat, ut suô locô & tempore medicamentum apponat. Religionem odibilem non reddat, quia illam in maturâ ætate non deligent. si in juventute illi lacrymas exprefsit Multi fugiunt ab Ecclesia & Confefsione, quia malé excepti sunt, aut pro puerili immodeftia vapulabant.

§. 9.

Methodus Docendi multum.

Imprimis necefsaria eft affabilitas, qua Pædagogus ipse Auditores interrogat, obscura declarat. non intellecta repetit, sine suspicione impatientiæ. 2. Volens alios docere, se ipsum doceat, & volens efse Dominus Auditorum, sui ipsius imprimis Dominus sit 3. Doceat verbis perspicuis, quia melius eft nullam de Deo, anima, aut aliis rebus habere ideam, quam vilem & phantafticam. Mallem *ait Plutarchus, ut nullus efset in mundo Plutarchus, quam ut fit invidus, injustus, Tyrannus.* 4. Inspiret ipsis Reverentiam erga Leges ope Patriotismi, monftrando eas collimare ad bonum commune. 5. Ope conscientiæ excitet in ipsis bonum sensum. 6. Ope boni exempli & consvetudinis inculcet ipsis urbanitatem & modum peragendi omnia bené. 7. Ope hilaritatis inspiret ipsis internam pacem & tranquilitatem, quam ex peracto bono opere sentimus. 8 Ope Religiouis faciat illos attentos & memores futuræ Beatitudinis.

§. 10.

Initium Scholæ aut Doctrinæ.

Laudabilis certè mos est incipiendi Lectionem aut [Doctrinam ab Oratione,] ideò tamen vituperandus, quod mechanicé, sine affectu & devotione, ex sola consvetudine persolvatur. Pastor autem & Pædagogus duplici modo juvenes ad orationem attentos facere potest. 1. Si ista Oratio initialis declaretur, ab ipso Pædagogo devoté absolvatur, vel cum alia oratione aut aliquando cum Cantu permutetur. 2. Si Auditores præparet ad Attentionem narrando jucundum aut tristem aliquem eventum vg Phænomenon naturæ, mortem Scholaris, Festum aliquod.

§. 11.

Methodus Docendi Religionem.

Motivum Religionis vg. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio Vestra* Thes: 4 – 3. certé est maximum, quia imbecillem hominem erigit, superbum flectit, ab eoque incipienda Instructio adeptô usu rationis, ne postea forte Religione duci nolint. Quare instruat. 1. Auditores tam in Dogmatibus quam Morali quia Religio Sancta utrumque continet. 2. Dogmata ut axiomata sine Theologica Demonstratione proponat, exceptâ forte hâc unicâ *Deus infallibilis hoc revelavit.* 3. Non utatur vocibis, formulis quarum nullam aut perversam habent ideam. 4. Non multa si-

mul doceat, & docendo intellectum non modo illustret, sed & voluntatem moveat, ostendatque simul modum hoc vel illud credendi aut faciendi.

§. 12.

Vitia in Religione Docenda.

Hodiernæ Catecheses continent multas inintelligibiles voces, quæ memoriam qnidem obruunt, sed intellectum vacuum & cor frigidum relinquunt. Jpsum Evangelium, quod fructuosé legi potest in Schola, et debet in Ecclesia, non nisi frugmenta historica sine Chronologia continet. Vix tamen explanatio Evaugelii aut Catecheseos à Pædagogo exigi potest, nisi bené Religionis fundamenta sciat. Sæpe juventus callet multas voces ex Evangelio, Catechesi & tamen nequissima est. Sed Religio non pro sola memoria, nec pro solo iutellectu, sed etiam pro rebelli voluntate statuta est. Religio Christi non Auditores verbi, sed Factores poscit. Memorialis Religio non potest Religio dici, cum Judæus etiam memoriter quædam scire potest. En quomodo hodie passim juventus in Religione instituitur! Caveat interim Pædagogus & Pastor alterum extremum, nempe ne velit ex Christianis facere Polemicos.

§. 13.

Quoad alias Scientias.

Pædagogus & Paſtor viſitando Scholam, narrabit sæpe ſtudiosæ juventuti, quantus fructus & utilitas percipitur ex Legendi, Scribendi, Calculandi arte, nec non aliis induſtrialibus. Certé inſtitutione juventutis multa peccata præcaventur, mores & intellectus excolitur. Interea non sola Lectio & Scriptio in Schola tradatur aut sola Arithmetica, sed doceatur etiam Cantus, explicetur Calendarum, monſtrentur nocivæ herbæ, diluantur fabulosæ Vetularum narrationes de Spectris, suppeditentur tandem Regulæ Sanitatis. Hæc Paſtor tum per se in Schola, tum privatim Pædagogo insinuare poterit, quia ars pædagogica junctis viribus Parochi non leve inde sumeret incrementum.

§. 14.

Obligatio Paſtoris quoad Scholas.

Utilitas, quæ non solum pro Regimine sed etiam pro Ecclesia Dei ex Scholis promanat, ſtimulus eſse deberet Parocho ad erigendam, augendam, & conservandam Scholam Parochialem. Imo Titulus Paſtoris, mos primitivæ Eccleſiæ. Conſtitutiones Conciliorum, tam generalium quam particularium, *de Methodo docendi*, *de Authoribus juventuti prœlegendis*, *de non aſsumendis Ludi moderatoribus infectis*, *aut suspectis* zelum ejus promovere deberet ad inſtituendam

juventutem non in Ecclesia tantum, sed & in Schola. Quot etenim vitia & præjudicia ope Scholæ extirpare, quam commodè Cantum & Devotionem in Ecclesia introducere, & bene ordinare, quot bonos sensus excitare & dilatare potest? Inveterati habitus, præjudicia, superstitiones quædam non nisi Instructione juventutis evelli funditus possunt. Quare Pastor per se & suos Collaboratores Scholam in Catechesi & Concione recommendare non intermittat. *Leg. Con. Lat. III. can. 11. & Trid: Sess: 5. de Ref. can. 1.*

§. 15.

Media erigeudæ et conservandæ Scholæ Parochialis.

Zelosus Pastor non à Regimine sumptus & necessaria media ad erigendam & augendam Scholam Parochialem præstolatur, sed ipse exemplô aliorum in Vicinia aut exteris Regionibus degentium Pastorum de mediis cogitat & opus perficit. Conducit morigerum Sacellanum aut Organarium, eique obligationem instituendæ juventutis imponit. Pastor autem Scholæ præest, Pædagogo & Scholaribus invigilat, eam semel aut bis in hebdomada visitat, studiosos examinat, atque dum tali modo paulatim scholares non lectione tantum & Scriptione ob aliis pagi pueris distinguuntur, sed etiam moribus, & fructus non exiguus apparet, non unus certè Benefactor reperiretur, qui aliquid ad construendum aut reparandum ædificium, & succesŝû temporis ad conducendum peritum

Pædagogum conferret. Jmo Parentes videntes Paſtorem Scholam dirigere, juvenes suos meliorari, libenter pro medulo suo ad salubre hoc inſtitutnm contribuerent. Certé non unô annô hoc opus perficitur, paulatim tamen summa petuntur.

CAPUT SECUNDUM.

DE METHODO CATECHISANDI.

§. 16.

Notio artis Catechisandi.

Per artem Catechisandi intelligitur Methodus, qua Veritates Religionis tam theoreticæ quam practicæ rudi populu præsertim juniori intelligibiles ac obviæ reddantur. Methodus verô illa non eſt alia nisi discursiva, si nempe paternô affectu a notis ascendatur ad ignota, ac per varias circuitiones, interrogationes res obscuræ reddantur evidentes, remotæ proximæ, difficiles faciles, odiosæ amabiles. Differt ergo modus Catechisandi a discursu Philosophico aut Demonſtrativo, in quo res rationibus probatur, et ordo aut forma aliqua servatur. Nam in Catechesi nulla forma ſtricté servavari poteſt, ſed juxta Responsa rudis populi res vel magis explicanda, vel aliô diri-

genda, vel ultra protrahenda est, sicut in discursu familiari fieri solet. Unde egregié ait *Steinert* plus scientiæ & præcisionis requiri in Catechista, quam in Præcone. Bonus Catechista semper esse potest bonus Præco non autem vicissim. Quia Catechista ad improvisos casus, Dubia, Objectiones, paratus esse debet, dum *Præco* unam tantum materiam paratus pertractat.

§. 17.

Necessitas Catecheseos.

Crassa ignorantia quoad primaria Religionis dogmata, & obligationes status dominans non in pagis tantum, sed & inter cultos populosæ civitatis cives. Inutilitas Concionum mediocri etiam stylô elaboratarum. Multitudo peccatorum ex ignorantia provenientium evidenter innuunt, quam necessariæ sint ubique Catecheses. Quare sancitum est. Con: Trid: Ses: 5. cap: 2. *Parochi plebes sibi comissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ omnibus scire oporteat ad salutem cum brevitate & facilitate sermonis, quæ vitia declinare, et virtutes sectari oportet, ut poenam æternam evadere, & gloriam cœlestem consequi valeant.* Et clarius de Catechesi cap: 4. de Ref: *Episcopi saltem Dominicis et Festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et Parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et si opus sit, etiam per Censuras Ecclesiasticas compellant.*

§. 18.

Quæ Rudimenta Fidei pertractanda.

Per Rudimenta Fidei non sunt intelligendæ usitatæ quædam Interrogationes ac Formulæ, quæ pueris adhuc rationis incapacibus, ac proinde sine cognitione earum proponi solent, ac propositæ mox memoria excedunt, sed ea omnia, quæ Christianus *scire, credere, facere et omittere* debet. Non sufficit ergo necessaria medii scire, sed intelligere etiam quisque debet Orationem Dominicam, Symbolum. Decalogum, Ecclesiæ Præcepta, Sacramenta, Partes seu Conditiones ad Pœnitentiam. His pauló post addenda sunt varia genera peccatorum, veluti peccata capitalia, aliena, Ritus Ecclesiæ, Institutio Festorum, modus audiendæ Missæ, ac cætera pro temporis opportunitate ac auditorum capacitate, quæ hominem re & nomine efficiunt Christianum.

§. 19.

Quando Catecheses habendæ.

Parochus non assequetur finem sibi a Domino propositum, si tantum pro Confirmandis, prima vice Communicantis, aut in Quadragesima Catecheses instituat, quia multi tam modicô tempore discerni aut disponi nequeunt, & si hoc supponatur fieri posse prima Quadragesimâ, sequenti tamen iterum indispositi, aut indocti comparebunt. Quare pro Confirmandis & prima vice Com-

municaturis specialis habendus est Catechismus, & ut totus modici temporis labor inutilis non remaneat. Catechismus juxta præfatum Concilium Tridentinum debet esse continuus, id est omnibus Dominicis & Festivis diebus. Commodius communis Catechesis ante Vesperas, specialis verô pro Confirmandis & Communicaturis quovis aliô tempore opportunô habetur à Pastore bené visô. Si hoc nimis multum exigere est, perpendat quæso Pastor non Mercenarius verba S. Pauli 2. *Tim.* 4—1. *Testificor coram Deo & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos per adventum ejus, prædica verbum, insta opportuné, importuné, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.*

§. 20.

Quæ ante Catechismum servanda.

Catechista præparatus 1. faciat intentionem instruendi omnes quotquot sunt 2. Factô signô S. Crucis claré & distincté quoad comma non cantando prælegat consvetas preces cum Symbolo, Præceptis Dei, & Ecclesiæ, Sacramentis & Conditionibus ad Poenitentiam & easdem preces mané & vesperé dicendas commendet. 3. Mandet omnibus finitis precibus surgere & ordine stare, ut pueri a puellis segregati stent, & exeant. 4. Eligat locum, é quo omnes videre, & ab omnibus videri possit & audiri. 5. Poterit omnes salutare *vg Laudetur* si nondum notus sit, & se velit affabilem reddere. 6. Proponat tandem tres principaliores Interrogationes cum

Responsis claré breviter & distinctè, easque bis aut ter repetat, donec memoriæ & cordi imprimantur.

§. 21.

Observanda in Tractu Catecheseos.

1. Non multum loquatur, nec inaniter ea repetat, quæ jam a pueris sciuntur, sed Responsa Exemplô aliquô, textu Sacræ Scripturæ, aut Parabolâ confirmet. 2. Nullum clamantem increpabit, ne major tumultus & strepitus fiat, sed paulisper subsistende & tristi facie illum aspiciendo, aut etiam paternâ monitione petulantes emendare satage: 3 Auditores semper suos in Christo filios nuncupabit, & si eos de nomine vocare posset, foret melius. 4. Quæstiones steriles, spinosas & ad captum omnium minimé accomodatus respuat, nec inhæreat multum definitionibus, divisionibu, quibus pueri magis cruciantur, quam erudiuntur, sed re ipsâ & modo instruendi atteutionem sibi conciliet, non solum intellectum instruendo, sed voluntatem etiam movendo. Quare & dogmatibus aliquem affectum intermiscere debet. 5. Non quærat, quid est virtus, pietas, misericordia, quia hæc a Theologo vix definiuntur, sed qui sunt virtuosi, pii, & misericordes ? ac sic a tali definitione adhortetur ad amplectendam virtutem. 6. Si viderit Auditores fatigatos finiat potius Catechesin, quam ultra molestare pergat, quia non tam interest *quam mu;tum sed quam bene.* 7. Curet, ut pueri plus respondeant, quam *est* & *non*. 8.

Non facilè credat, dicta ab Auditoribus percipi, sed eandem alio modô proponat, ut solidè intelligant. 9. Interrogationes non sint examinatoriæ, sed discursivæ & doctrinales. —

§. 22.

Observanda post Catechesin.

1. Finitâ materiâ breviter principaliora cum morali tamen reflexione repetat, ut ab Auditoribus in futura Catechesi repetantur. 2. Præmia non distribuat ob evitandum strepitum & ne propter illa catechesin frequentent, sed diligentes laudando remunerabitur. 3. Legat consvetos Actus fidei spei, charitatis & contritionis, ut eos memoria retineant, & suô tempore dicant. 4. Promulget Festa & jejunia, simulque causam Festi declaret aut modum jejunii. 5. Aliter atque aliter interroget de necessariis necessitate medii vg. Estne S. Spiritu pro nobis incarnatus? — Estne Panis in Eucharistia? an vivus Christus? 6. Si tempus suppetat, possunt partes precum explicari *vg.* quid poscitis à Deo his verbis *Et ne nos inducas* quid creditis dicendo *Communionem SS*? —

§. 23.

Media quædam ad Catechisandum.

1. Legat bonos Libros, puta doctrinas dogmaticas, Fleurii, manuscripta, & lecta recogitando loco & Personis applicet pro

pro earum capacitate. 2. Habeat descriptos pueros & puellas, & si per notabile tempus Catechesin fructuosé frequentaverint, poterit hoc illis remunerari. 3 Quôlibet mense faciat brevem Repetitionem dictorum, ut fructus appareat. 4. Itinerando, infirmum visitando proponat juvenibus coram adultis aliquas Interrogationes, quas declaret & exponat.

§. 24.

Quædam Adminnicula ad Catechismum.

Inter alia, quæ ad Fidem & bonos mores pertinent, hæc fibi Catechifta pro ratione temporis, aut materiæ eligere poteft.

1. Unus nempe Deus, una fides, unum Baptisma, unum Sacrificium, unus Salvator, una Ecclefia, unum peccatum originale, unum Cœlum, unus Infernus, una in Chrifto Persona.
2. Duæ naturæ in Chrifto. 2. Myfteria necefsitate medii credenda Trinitatis & Incarnationis. Duplex Oratio verbalis & mentalis. Duplex Verbum Dei, scriptum & traditum. Duplex Judicium particulare, & universale. Duplex gratia sufficiens, & efficax. Duplex peccatum actuale, & originale.
3. Tres sunt Virtutes Theologicæ Fides, Spes, Charitas. 3 Partes Poenitentis Contritio, Confefsio, Satisfactio. Tria bona opera Jejunium, Oratio, Eleemosyna. 3 animæ hoftes mundus, ca-

ro, diabolus. Tria arma contra diabolum, Oratio, Aqua lustralis, Signum Crucis. Tres poenæ Ecclesiasticæ Excommunicatio, Suspensio, Interdictum. Triplex Baptismus. Fluminis, Flaminis, Sanguinis. Tria Sacramenta quæ Characterem imprimunt. Baptismus Confirmatio & Ordo. Tria Consilia Evangelica, paupertas, obedientia, & Castitas,

4. Quatuor Novissima. Mors Judicium Infernus Cælum. 4 Signa veræ Ecclesiæ Una, Sancta, Catholica, Apostolica 4. Conditiones ad Contritionem Interna, suma, supernaturalis, universalis. 4. Peccata in Cælum clamantia. Homicidium, Sodomia, Oppressio pauperis, Defraudatio mercedis. 4. Dotes corporis glorificati. Agilitas, incorruptibilitas, impassibilitas, claritas Quadrupliciter peccatur, cogitatione, omissione, verbo & opere. 4 Conditiones ad Confessionem, simplex, humilis, integra, parere parata.

5. Præcepta Ecclesiæ 5. Conditiones ad Poenitentiam. 5. Beneficia; Creatio Redemptio, Conservatio, Justificatio, Glorificatio. Quintuplex modus audiendæ Missæ. 1. in memoriam Passionis. 2. pro impetrando Beneficio. 3. pro Gratiarum actione. 4. Remissione peccatorum. 5. in honorem Dei.

6. Peccata contra Spiritum S. Præsumptio, Desperatio, Blasphemia, Induratio, Invidia fraternæ charitatis Incorrigibilitas. Sex signa adventus Christi Judicantis. Adventus Eliæ, Enochi, Anti-

christi, Prædicatio Evangelii intoto mundo, conversio Judæorum, falsa miracula.

7. Septem Sacramenta. 7. Peccata capitalia. 7. Opera misericordiæ corporalia & spiritualia. 7. Virtutes peccatis capitalibus oppositæ. 7. Verba Xsti de Cruce. 7. dona Spiritus S. 7. preces Orationis Dominicæ.

8. Beatitudines nempe Beati pauperes, mites, pacifici, mundi, lugentes, misericordes, sitientes justitiam, patientes persecutionem ob justitiam.

9. Aliena peccata; 9. Chori Angelorum.

10. Plagæ Aegipti. *Exod: 4. 8. 10. 11.*

Assignantur materiæ Catecheseos, corriguntur, reservantur.

CAPUT TERTIUM.

DE MODO CONCIONANDI.

Non videtur necessarium, Regulas Rhetoricæ hoc in opusculo transcribere, imo notitiam Troporum & Figurarum supponimus, sed solúm de quinque Orationis partibus disseremus, ut notas licet naturales leges & bené dicendi artem magis Pastor excolere ac perficere possit, ut non bené tantum sed & utiliter & fructuosé loquatur. Ad elaborandam

dam ergo Concionem requiruntur sequentia: 1. Materiam dicendi adinvenire. 2. inventam disponere. 3. Dispositam confirmare seu componere, 4. confirmatam memoriâ tenere. 5. memoriæ traditam pronuntiare.

§. 25.

De Inventione.

Non solùm notitia Theologiæ, Philosophiæ, Physicæ, Hermeneuticæ, necessaria est, ad inveniendam materiam Concionis, sed etiam notitia inclinationum, vitiorum, & consvetudinum loci, ubi Pastor verba ad populum dicere intendit. Ac sic non ex libro obvias quærat dicendi materias, sed his Auditoribus, aut huic loco comprimis accomodatas, aut necessarias seligat, sive ab injusto, necessario, utili, Educatione, Ingenio aut ex aliis hujusmodi eam repetat fontibus, hâc tamen cautelâ, ut prædicatum conveniat subjecto, qualis non esset isthæc materia; Frequens Communio est signum Prædestinationis aut charitatis, & ut prædicatum loco & tempori conveniat, sic malè quis diceret de Bachanalibus in loco, ubi homines vix pane vescuntur. Ut verò materiam personis, tempori, & loco convenientem adinveniat Pastor, perpendat quæso, qualis mysteriorum ignorantia, quantæ maledictiones, pejerationes, perjuria hodiedum, ubique fere dominentur? quam rara Coutritio, integra Confesio, bona prolis educatio? & facilè materiam quæsitam inveniet. Non sit sollicitus de Themate aut Exordio, quod ex Evangelio, Pro-

phetis, Breviario cum brevi explicatione Textus, vel a circumſtantiis, aut etiam ex præterita concione aſsummere poteſt. Nunquam tamen aſsumat materiam, quam bené non intelligit, ſicut quidam de Fanatismo prædicare præsumunt, aut de Deiſtis, quorum Auditores nec nomen nôrunt.

§. 26.

De Dispositione.

Inventâ muteriâ, Eccleſiaſtes Concionem dividat in aliquot partes, non tamen ultra tres, ita tamen ut qnælibet pars contineat practicam doctrinam aut veritatem, Ad hoc autem requiritur Meditatio, ſtudium, lectio authorum. Quamque partem exemplis, Scripturâ, experientiâ, ſimilitudine illuſtret & objectiones refutet, ſi quæ ab Auditôribus objici poſsent. Ad ciendos affectus loca quædam Psalmorum, Prophetarum, vel ex Epiſtolis S. Pauli depromat, ſicque Concionis partes disponat, ut Auditoribus faſtidium non generet, sed econtra inſtructi ac commoti, cum guſtû, fructu, ac ſensu pietatis recedant. Quod subdiviſiones spectat, poſsunt hæ quoad formam vel numerum ad libitum adhiberi. Si veró per subdiviſiones intelligantur rationes, & motiva, quibus hoc vel illud faciendum vel omittendum monſtratur, quâ de causâ reverâ adhibentur, tunc certé ad quamvis Concionem eſsentialiter requiruntur, deque illis tam maturé cogitandum, ac de ipsâ materiâ pertractandâ.

§. 27.

De Amplificatione, seu Confirmatione.

Dispositis partibus, Ecclesiastés materiam suam confirmare debet, ita tamen ut *doceat.* quia alias non audiretur diligenter, & res ignota non addisceretur, obliterata non reduceretur in memoriam. 2. ut *delectét* nam alias non audiretur libenter, imo Auditores fastidiosi finem expectarent. 3 ut *flectat*, quia alias non audiretur obedienter & scopus Concionis foret inanis. Ut vero Concionator per Concionem *doceat*, necesse est, ut *clarus sit*, non utendo verbis ambiguis, obscuris, aut nimis exquisitis, & ut sit *brevis* ne multis hoc pronuntiet, quod paucis dicere potest. Ut *delectet* acquirat suavitatem dictionis & varietatem styli, ut in parvis submissus, in mediocribus mediocris, & in magnis grandis sit, verba etiam & res secum cohæreant, ut unum ex altero fluere videatur. Ut tandem animos Auditorum *flectat*, duram & asperam increpationem non nisi raro & gravi de causâ adhibeat, & quæ dicit, ex intimo cordis affectu procedant.—

§. 28.

De Memoria.

Sunt, qui totam Concionem ad verbum describunt & addiscunt. Hi pulchré quidem dicunt & nitidé, sed eorum actio non est li-

bera, & Concio eorum rarissimé doctrinalis est. Sunt, qui tantùm Ordinem & præcipuas Concionis partes memoriâ tenent, sed hi quidem liberé dicunt & docent, dum practici sunt, Concio verò eorum plerumque non est nitida, nec cohærens. Tandem sunt, quibus labore, scriptô opus non est, sed hi plerumque sunt garruli, sine nexu & doctrina prædicant, aut saltem nimis diu circa eandem materiam aliis atque aliis verbis cum fastidio Auditorum versantur. Primi & secundi generis Concionatores abundanti sensui eorum relinquendos puto, & excusatos habeo, quoadusque perfectiores non evadant, dummodo id præstant, quod suis Auditoribus maximé expedire putant. Tertii generis suasor sim, ut saltèm aliqua non omittenda sibi adnotent, licet Synopsin Concionis conficere omnibus commendandum foret.

§. 29.

De Pronuntiatione.

Pronuntiatio debet esse submissa in docendo, in delectando temperata, in movendo gravis, quia nihil magis Auditorem gravat & fatigat, quam si unô omnia tonô efferantur. Vox igitur sit naturalis non ficta. Non dicat nimis delicatè, aut affectuosè, nec abjectè, aut rusticè. Quoniam vero & gestus ad Pronuntiationem referuntur, igitur & ii sint naturales non affectati. Actio sit libera & Regulis scholasticis non coarctata. Vox sit sincera sine affectatione, fortis & non languida aut emortua, saucta non mundana,

gravis non inepta, & ita moderata, ut nec nimis ſit lenta nec præceps. Assuescat præterea puro idiomatı & non dicat przeleknion, sed przelękniony, non Krul sed Król, non mom sed mam, non śmirć, sed śmierć, non grzyſznik sed grzeſznik, non Swiętygo sed świętego. Nec ſit Pronuntintio cantillans, nec eodem tenore protracta, sed pro Interpunctionibus vel elata, vel depreſsa.

§. 30.

Observanda ante et poſt Concionem.

Sit bené dispositus ante Concionem ac 1. eâ ſit humilitate, ac ſi nesciat, quid, aut quomodo dicendum. 2. Confidenter tamen persvasus ſit, se non hominuæ verba loqui, sed Dei 2. *Cor.* 5. *pro Christo enim legatione fungimur.* 3. Sit zelosus, ut ex amore Dei & proximi verba depromat & dicat cum S. Paulo *Gal.* 6 *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Poſt Concionem caveat 1. Elationem, sed dicat cum S. Paulo 1. *Cor.* 9—27. *ne fortè cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* 2 Dejectionem, *quia Deus infirma mundi eligit, ut confundat fortia* 1. *Cor.* 1. 27. 3. pro minus recté dictis petat à Deo veniam. 4. Oret Deum, ut verbum, Dei fructificet in cordibus Audientium.

§. 31.

Quandò prædicandum.

Sciat Paſtor, non ſufficere diebus Dominicis & Feſtivis prædicare, quia Concilium Tridentinum *Seſ:* 5. *cap.* 4 *de Ref.* poſt illa verba, saltèm Dominicis & Feſtivis diebus hoc addit, *Tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, aut Adventus Domini quotidie, aut saltém tribus diebus in hebdomada, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, divinamque legem annuntient, & alias quotiescunque id oportuné fieri poſse judicaverint.* Poſset Paſtor non mercenarius quotidié ad præsentem in quotidiana Miſsa populum breviter aliquid claré & affectuosè dicere, si sui amans non eſset. Imo visitando infirmum, peregrè eundo ad diſsitas ab Ecclesia villas & pagos multam inveniret meſsem, ſi vellet bonus eſse operarius. Multos ubique inveniret Chriſtianos, qui non semper poſsunt aut volunt Eccleſiam frequentare, magisque egent quam reliqui pabulô salutari, si Paſtor ad illos descendere non omitteret.

§. 32.

Media ad bené Concionandum.

Primum medium eſt, ſtudium humile, pium, ordinatum, aſsiduum, attentum quia, alias *Rom.* 1 – 22. *evanesceret in cogitationibus suis, & obscuraretur insipiens cor ejus, dicens se eſse sapientem, ſtultus fie-*

ret. 2. Meditatio seria *Jerem: 12* quia *desolatione desolata est terra, quia nullus est, qui recogitet corde* 3. Oratio Jacob 1. *si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* 4 Vita bona Eccl: 1. *quia initium sapientiæ timor Domini et* Psalm. 118. 99 *super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* 5 Mortificatio cupiditatis 1. Thes: 5 *Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei, non sumus noctis, neque tenebrarum.* 6. Exercitium Prædicationis, parvulis catechisando, Pauperibus evangelisando, monendo, in Seminario seduló conciónando. Dum vero Ecclesiaftes se exercebit in exhortando & monendo, meminerit a S. *Gregorio* triginta & sex hominum genera enumerari, qui pro diversa dispositione aliter atque aliter monendi sunt.

§. 33.

Animadversiones quoad Regulas et Formulæs quasdam.

Concionator non sit anxius, si non callet artem Eloquentiæ, aut Tropos & figuras definire, aut adhibere nequeat. Nam legendo sacram scripturam, bonosque Authores, facilé optimis & emphaticis locutionibus afsvescet, tropos & figuras adinveniet. Curet exemplô Moysis & S, Panli, ut auditores doctiores & meliores fiant, & sic sine tropis & figuris verus erit Ecclefiafta. Poterit adhibere Invocationem poft exordi-

um, dummodo non ſiccam aut jejunam, aut eodem ſemper modò exclamatoriô, ſed aliquando precetur Auditores, ut intentionem salubriter audiendi faciant. Ut tandem omnes Orationis partes cohæreant, & quasi membra unum corpus conſtituant, utendum eſt Transitionibus vg. Dopieroż o Niebie myśląc. Owſzem. Wſzakże. Oprócz tego. Nadto cośmy uważać powinni. Przydaymy do tego. Słyſzeliście dość, ſłuchaycie więcey. To ſkrycie, ale to iawnie. Niech o tym będzie dość. In Epilogo verò Recapitulationem non omittat, ſed non ſit nuda & ſterilis, ſed cum Reflexionibus, quia ſine iſta Repetitione Concio foret inanis, ſine reflexionibus vividis autem frigida. Uſus verò & Experientia plura docebit.

§. 34.

Quæ cavenda Concionatori extra Concionem.


1. Non loquatur siniſtrè de aliis Concionatoribus, ne forté suam superbiam prodat. 2. Non jocetur verbis sacræ Scripturæ aut dictis in Concione, quia alias vim amitterent. 3. Nunquam loquatur de laudibus suæ Concionis, sed fructum attribuat illi, qui incrementum dat, DEO 4. Caveat ne aliter doceat, aliter faciat, quia unâ manu deſtrueret, quod alterâ ædificavit 5. Non solos legat Concionatores, sed & meditationes, sacram Scripturam, nec non profanos authores, ad stylum & cognitionem variarum rerum acquirendam.



PARS SECUNDA

DE

SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.



§. 35.

Observanda ante Sacramenti Administrationem.

Memor ſit Paſtor 1. Cor. 4—1. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis, quis inveniatur?* Sit igitur Sanctus, quoniam Deus Sanctus eſt, cujus legatione fungitur, & juxta Rituale Sacramentorum, juſtè, integrè piéque vivat, omni horâ ad Sacramenta paratus ſit, & gratis ea miniſtret, niſi devotionis, eleemosynæ, aut consvetudinis gratiâ aliquid spontè offeratur. Servet juxta Tridentinum omnes ritus, quos omittere aut mutare nefas eſt, mundam habeat ſupellectilem, vasa & veſtes, ſitque ſemper in eorum adminiſtratione ſuperpelliceo & ſtolâ indutus, & per orationem ac præparationem intentus ſit rei, quam diligenter & ſanctè tractare debet. Moneat accedentes,

quantâ reverentiâ ad Sancta accedere debeant, & alterius Paræciæ Fidelibus ſine conſensu Parochi, aut neceſsitate, Sacrsmenta non miniſtret, nisi fortè Poenitentiæ, auc Sacræ Communionis sanis.

§. 36.

Dispositiones Miniſtri et Suscipientis.

Varia sunt hominum genera, qûibus Sacramenta miniſtrare debet Paſtor. Sunt enim 1. Rudes qui non poſsunt, aut nolunt edoceri veritates fidei. Sunt multi propter levitatem ingenii, aut peccati noterietatem, aut habitum Sacramentorum incapaces, aut indigni 3. Sunt multi dubiè dispositi, Paſtor igitur admonitione, inſtructione, obsecratione, tantum præſtet, ut eam partem ſequi poſsit, in qua minus periculi judicaverit.

Quod verò ipsius Paſtoris dispositionem attinet, sciat, non nisi se in neceſsisitate & in defectu Confeſsarii, in aliquo letifero peccato Sacramenta elicità contritione conficere poſse, & præter ſtatum gratiæ, alios requiri in miniſtro humilitatis & devotionis actus, quos excitabit cogitando 1. Se non eſse Dominum Sacramentorum, sed tantùm dispensatorem. En motivum timoris & humilitatis. 2. Respiciat Chriſtum cujus gratiæ Miniſter eſt, & actum Reverentiæ excitabit 3. Recogitet Sanctitatem & effectum Sacramenti, & illicó rememorabit illud *Jsaiæ*

5a — 11. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* 4. Respiciat Proximum, ac pro illius dispositione varios excitabit affectus comiserationis, adorationis, charitatis.

§. 37.

De Baptismo.

Hortetur Paſtor Fideles juxta Rituale, ut Baptisandos quam primum, ad Ecclesiam deferant, qnia ſine Baptismo Regnum Dei intrare non poſsunt. Adulti antem diu inſtruendi snnt, & probandi in exercitiis virtutis, & non nisi cum scitu Regiminis in Boruſsia poſt ejurationem erroris ad Sacramentum admittendi sunt. Cavendum ergó, né quis ex imperitia, errore, aut ob quæſtum vel ex dolo baptisari velit Si plûres parvuli vel adulti baptisandi ſint, actus, Interrogationes fiant super ſingulos, orationes verô super omnes dicantur. Si Cæremoniæ supplendæ sunt videat in Rituali infra positas orationes, & cætera peragat ut in ordine exceptâ formâ Baptismi.

§. 38.

Servanda ante Baptismum.

Interroget. 1. Paſtor, quomodo Baptisandus vocandus. 2. num ſit baptisatus domi. 3. e qua Paræcia? Ad munus Patrinorum non admittat publicos peccatores, infames, infideles aut rudes, nec plures quam

Provincias captivos abducebant. Antiochus tamen Epiphanes vel ex odio Religionis Judaicæ, vel ad inftantiam quorumdam Judæorum, Religionem aversantium, Moysis legem tollere et græcum cultum inducere conabatur. Sed hæc agendi ratio cœterorum Judæorum commovebat animos, et bellum Religionis excitavit, quod multos annos duravit, et cum Jndependentia Judæorum sub Summis Sacerdotibus Simone et Hircano terminatum fuit. Descriptio geftorum a Mathatia ejusque filiis exhibetur in 4. libris Machabæorum, Quia tamen duo tantum Canonicis adnumerati sunt; idcirco de duobus pofterioribus nulla mentio fiet.

Primus liber hiftoriam 40. annorum complectitur, ab Antiocho scilicet usque ad mortem Summi Sacerdotis Simonis, eratque hebraice scriptus, visusque eft ab Origene et Hieronymo, et occurrentes hæbraismi hoc oftendunt. Secundus 15. annorum hiftoriam continet, in quo vexatio Judæorum et Sacrilegium Heliodori, et mors Nicanoris Ducis exercitus Syriæ narratur, 2. Mach. 3. 15. A principio duæ Epiftolæ ponuntur, quas Judæi in Palæftina scripserunt ad fratres in Ægipto, invitantes eos ad feftivitatem purgationis Templi Jerosolymitani. Sequitur dein Oratio Nehemiæ,

et notitia de Arca fœderis et Altari, quæ *Jeremias* tempore Peregrinationis Babylonicæ absconderat usque ad reditum. Duo isti libri a duobus Authoribus promanare videntur, quia in primo æque, ac in secundo fere oppressiones Judæorum ab *Antiocho* factæ prolixè describuntur, et non obstante identitate argumenti narrationis, diversi fontes, ex quibus hauserant, innuuntur. Diversus quoque stylus in utroque libro apparet, utpotè elegantior et liberior in secundo libro, quàm in primo.

Quando vero libri scripti sint, non potest determinari. Hoc constat, quod ex fontibus certis hauserunt, et ad Machabæorum consilium scripti sunt. Non erant redacti in Sacrum Canonem, ut potè editi post exilium. Citabantur tamen sæpe verbis *sicut dicit Scriptura.* Et *Origenes*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Hieronymus* ex illis argumenta petierunt, quo factum, ut primò a particularibus, dein ab Æcumenica Synodo Tridentina inter Sacros recenserentur.

Appendix.

De quibusdam subsidiis et regulis ad explicandum divinum Codicem inservientibus.

quatenus se ad illud tempeſtivé præparent. Moneat Paræcianos suos, ut ſint semper ad Confirmationem dispositi, putâ quod confimandi in ſtatu gratiæ, & habere notitiam eorum, quæ sunt neceſsaria neceſsitate medii & præcepti, & annum septimum completum habere, tandem exemplô Apoſtolorum orationibus & jejuniis se præparare debeant.

§. 42.

De Sacramento Poenitentiæ.

Juxta Rituale Sacerdos debet eſse promptus ad audiendam Confeſsionem, superpelliceô & ſtolâ violaceá indutus, ac in loco patenti sedere. Præparet se igitur per Antyphonam *Veni Sancte Spiritus*, aut recitando quinque verſus Psalmi *miserere* incipiendo ab iſto *Cor mundum crea.* Ne verô ſine jurisdictione abſolvat, appoſiti ſunt Caſus reſervati in *appendice.* Huic quoque leges Civiles quasdam, & Impedimenta Cognationis ac affinitatis arborem; aut Tabulam adnotare placuit, ne in re tanti momenti erret Paſtor. Præterea servanda ante, & poſt Confeſsionem, nec non in ipso Tractu ſingillatim tractanda videntur.

§. 43.

Initiô Confeſsionis facienda.

Sacerdos confitentem benedicit dicens *Dominus ſit in corde tuo.* Si ultra Poenitens nihil dicat, interroget eum Confeſsor,

qunndo confefsus fuerit & num injunctam poenitentiam impleverit? Quia vero multi fidei rudimenta ignorant, peccata celant, numerum peccatorum non confitentur, in habitu gravis peccati ab indoctis Confefsariis absoluti reperiuntur, idcirco Confefsarius hujusmodi Poenitentibus ante omnia injungat, ut rudimenta fidei addiscant, habitum declinent, ac deinde ad generalem Confesfionem se præparent, cujus modum & facilitatem illis monftrabit. Si veró nihil horum obftet, ultro audiri debent, ita tamen ut adjuventur & interrogentur, ubi Confefsio integra non eft, & ad Reftitutionem seu Revocationem exprefsis verbis & monftratô modô obligentur, ubi obligandi sunt, ne poftea memoriâ excidant ea, quæ reticenda non sunt. Monitiones verô & Actus fidei & doloris ad finem Confefsionis remitti pofsunt & debent, ne Poenitens variis monitionibus turbetur.

§. 44.

Servanda in Tractu Confefsionis.

Non absolvat exiftentes in occafione proxima peccandi, antequam dimifsa vel remota fit, nec obligatos ad reftitutionem aut in odio, nisi odium deponant, aut ablata ftatim rrftituere velint. Circa habitum sciat hæc 4. requiri. 1. ut fit mortale peccatum 2. ut poenitens sciat, illud efse mortale. 3 ut illud jam fit confefsus. 4. ut fint actus frequentes. Si talem habitudinarium Confessor reperiret, qui per annum unum & alte-

rum habitum non deposuit & tamen absolutus fuit, sciat nequaquam sufficere, denegare Absolutionem, sed insuper requiri, ut propter defectum doloris & propositi hujusmodi Confessiones in habitu factas repetat.

§. 45.

In fine Confessionis servanda.

Disposito Poenitenti per salutaria monita & actus, ac integrè confesso, injungenda est salutaris poenitentia, quæ rarô quidem publica etiam pro publicis delectis, semper verô medicinalis esse debet. Eapropter ebriosis præter fugam conventiculorum præscribat mensuram potus. Maledicis injungat osculum terræ pro quovis maledicto; Desidibus auditionem Missæ & vesperarum. Impudicis meditationem mortis extinctis candelis, aut carnis afflictionem adveniente validâ tentatione. Si habet potestatem absolvendi à Censuris extra Sacramentum Poenitentiæ sive intra, tunc observet modum, aut formam præscriptam, alias verò consvetâ formâ Ecclesiæ post ista verba D. N. J. C. *te absolvat* hæc addat. *Et ego ipsius et authoritate mihi ab N. concessâ, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quam incurristi* vg. propter hæresin, & sic ultra Si verô aliquem ab Impedimento, aut irregularitate absolvere seu dispensare jussus fuerit, tunc post formam absolutionis dicat, *Et authoritate ab N. concessâ dispenso tecum super Impedimento, aut Irregularitate, quod vel quam, contraxisti ob homicidium* vg. *In Nomine Patris.* —

§. 46.

De recipiendis hæreticis.

Probatâ sincerâ voluntate hæreticorum, non ſit Paſtor anxius in suscipiendis illis in gremium Eccleſiæ. Nam lex Regni Borusſiæ hujus tenoris eſt Parte II. Tit: XI. § 41, *Transitus ab una Religione ad aliam licitus eſt poſt expreſsam declarationem et poſt completum 14. ætatis annum, insciis etiam parentibus, dummodo nulla ſit coactio, aut aſtuta persvasio.* Doceat autem Paſtor Proselytos, non tantum Rudimenta ſidei, sed & discrimen Religionis unius ab alia, probetque illos per notabile tempus in operibus probitatis.

Alumni exercitii causâ excipiunt varios caſus diversi ſtatûs & conditionis, et resolvunt.

§. 47.

De Euchariſtiæ Sacramento.

Sit Paſtor sollicitus circa Communionem parvulorum, curetque, ut peculiaribus Catechesibus quotannis ad illam disponantur, & non tantum sciant ea, quæ ad salutem præcepta sunt, sed maximé ut suam conscientiam examinare, de peccatis ore & corde dolere, melioremque vitam inſtituere poſsint. Taliter dispositos & ad primam Communionem admiſsos hortetur, ut saltém quater in anno confiteantur, & Dominicis Feſtisque diebus Catechesibus interſint, quia alias totus labor inanis erit. Circa Commu-

nionem Paschalem inculcet Paſtor Decretum Lateranense *Omnis utriusque sexûs* ut se tempeſtivé præparent, & sciant non perinde eſse, ad quos Confeſsarios accedant, quia multi sunt, qui serio non converſos ad Sacramenta admittunt. Quod si aliquem in Paræcia desidem habeat in officio Paſchali, non ſtatim ad denuntiandum ex suggeſtu procedat, quousque ſibi tantùm nocet, sed privatis monitionibus ad faciendam Confeſsionem coram Confeſsario ad libitum adhortabitur. Quod si denuntiatio profutura speretur, ad terrorem desidis vel cæterorum, non eſset arguenda, dummodô Regulæ prudentiæ serventur. In Adminiſtranda Communione serventur ea, quæ de ſtola alba, lotione manuum, genuflexione, Benedictione, & deferendo Viatico ad Infirmum in Rituali præscribuntur, ubi breves exhortationes ante & poſt Communionem ægri omittendæ non ſunt. *Ostendatur modus ministrandi Sacram Communionem sanis et aegris Seminarii Alumnis.*

§. 48.

De extrema Unctione.

Moneat Paſtor populum, ut juxta Rituale mensa mappâ candidâ paretur, vasque cum bombacio sale & pane, aqua luſtralis ad aspergendum, & communis ad abluendas Sacerdotis manus, & crux in mensa ponatur. Indutus violaceâ ſtolâ cum superpelliceo ingreditur domum dicens, *Pax huic domui.* Aspergens aquâ dicit *Asperges me* Accedens, ægrotum interrogat, num velit con-

fiteri. Confeſsus moneri debet de necessitate Sacramenti. Adſtantes genuflexi Psalmos vel alias preces dicant ad intentionem infirmi, ſicque Sacramentum perficit. Meminerit tamen Paſtor, se habere debere curam infirmorum, licet invitatus non ſit, temporalia, maximé verô spiritualia subſidia illis conferendo. Si tamen ad publice criminosum invitaretur, tunc cum Viaticô eundum non eſt, sed solius Confeſsionis excipiendæ causâ nempe, ut scandalum prius reparet, adſtantes deprecando, & tunc poterit etiam Viaticum porrigere. Si vero Sacerdos ignorans, Viaticum attulerit, illud non nisi poſt reparatum scandalum a criminoso coram adſtantibus porrigendum foret. Si morbus gravior sit, moneat, ut rem suam disponat juxta ordinem charitatis, conficiendo tamen Teſtamento non se commisceat, nisi gravi de causa, & tunc sciat Paſtor, Teſtamentum valere non nisi a 9. Teſtibus subscriptum, Si verô Teſtator ipse scribere possit, utique ſine Teſtibus valebit, dummodo judicio confirmandum tradatur.

Exequiæ juxta Rituale poragantur, eâ quâ decet modeſtiâ & pietate, non ob quæſtum. Pauperes gratis sepeliat, a ditioribus verô non nisi juxta probatam consvetudinem pro sepultura in rem Eccleſiæ exigat, memor omnia peragi ad vivorum & mortuorum pietatem. Conviviis exequiarum non interſit, nisi præſtando exemplum temperantiæ & adſtantes ædificando.

Extrema unctio & Exequiæ exercitii causâ monſtratur in praxi.

§. 49.

De Sacramento Ordinis.

Nihil quidèm Porochus habet in Sacramentum Ordinis, remoté tamen ad illud concurrere poteſt, discernendo in sua Paræcia aptos ab ineptis, admonendo dignos ad frequentanda ſtudia, aut Teſtimonium suis dando de vita & moribus Quapropter Parochus eos, quos videt pietate, ingenio, & moribus super cæteros eminere, ad ulteriora ſtudia opere & consilô adjuvet. ineptis autem & improbis ſtatum Eccleſiaſticum diſsuadebit, & teſtimonium negabit. Quod si forté ab alio Teſtimonium obtinuerint, id Episcopo juxta mentem Pontificalis Romani indicabit Præmatura enim scriptio Teſtimoniorum pro doctis & indoctis, piis & impiis causa eſt, cur indiscriminatim ad Ordines admittantur, & Eccleſia periculo exponatur.

§. 50.

De Sacramento Matrimonii.

Parochus non tantúm interroget contrahentes matrimonium, an ſint in ætate legitima, calleant myſteria fidei, diversæ ſint Paræciæ, sponté consentiant, aut cæteris impedimentis canonicis irretiti non ſint, sed etiam juxta leges Regni inquirat, cujus ſint conditionis, quia miles habere debet licentiam in scriptis a suo Colonello, cæteri in pagis à Consiliario Circuli, in civitatibus verô à Magiſtratu, ſi nobiles non sunt. Vidu-

us non nisi poſt partitionem bonorum, vidua non nisi poſt 9 menses à morte mariti, liberi nonnisi cum consensu Parentum, Nobiles verô cum civilibus, nonnisi impetratâ à Regimine licentiâ contrahere permittuntur. Hæc imprimis examinis loco servanda sunt præter alia ante & poſt Matrimonium servanda de quibus singillatim.

§. 51.

Obligatio Parochi ante Matrimonium.

Doceat, á digna vel indigna susceptione Sacramenti salutem domûs, animæ & prolium dependere, quapropter á fervida oratione & confeſsione opus inhoandum eſse, & secum non cohabitandum Si ante Matrimonium impudicè vixerint, & ſic indispositi ad Confeſsionem venerint, absolvere eos non poterit, Et si hoc non obſtante contrahere velint, dicet illis, quod sacrilego eorum Matrimonio quidam aſsiſtet, ne eos diffamet, ipsos tamen magnam pro impudicitia & sacrilegio poenitentiam, agere debere Si Impedimentum in Confeſsione detegat, & incontinentiæ periculum prævideat, aut altera pars auditô impedimentô dirimente à conjugio resiliret, tacebit, donec obtentâ dispensatione poſset illis hoc aperire, & de novo eos conjungere Quotiescunque verò petet dispensationem ab aliquo impedimento dirimente, meminerit sub poena nullitatis exprimendum eſse, an illud sciverint, & an scienter in illo contraxerint, an in spem dispensationis hoc fecerint, &

num requisitæ solemnitates omifsæ fuerint. Si affinitas aut consanguinitas contingat, legat ea quæ in Appendice notantur ad Partem II. hujus Opusculi.

§. 52.

Servanda in Actu Administrationis et post illam.

Paftor superpelliceô & albâ ftolâ indutus, cum Miniftro librum & aspergillum deferente, Matrimonium celebret, ad ftantes breviter adhortetur, quomodo exemplô Tobiæ & Saræ sancté convenire debent. Statuet sponsum ad dextram, sponsam verô ad finiftram suam, & intellectâ eorum liberâ voluntate, annulos benedicat, eorumque consensum nomine Ecclefiæ, aut benedicat aut confirmet, tandem luftrali aquâ genuflexos aspergat. Poftea actum libro copulatorum inscribet, monendo tripudia, convivia, plurimis efse occafionem turpium imaginationum & intemperantiæ. Poft Matrimonium mulier juxta Rituale in Ecclesiam introducitur & benedicitur.

Hactenus dicta monctrantur in praxi.

§. 53.

De Sacramentalibus et Benedictionibus.

Ut nullæ circa Sacramentalia & Benedictiones occurrant in praxi difficultates, hæc generaliter servanda sunt. 1. Legat ante

quamvis Benedictionem Rituale, ut omnia quæ ad stolam, superpelliceum, actiones, præscripta sunt, accuraté servet. 2. Omnia, quæ in Rituali Sacramentorum reperiuntur, simplex Sacerdos benedicere & peragere potest, iis tantum exceptis ad quæ specialis requiritur Episcopi facultas *vg.* ad benedicendum Cœmeterium. 3 Potest etiam benedicere scapulare, licet ad consequendam Indulgentiam Confraternitati inscribendi sunt, Confesſio, Communioque peragenda. 4. Inscribendo aliquem Confraternitari, aut benedicendo coronam, instruat statim, quid, quando & quomodo peragendum ? & posse sine peccato præscripta omitti, ne ex erronea conscientia multiplicentur peccata. 5. Applicando Indulgentiam Moribundis ex privilegio Clementis XIV. 1770. non intermittat ad pietatis actus exhortari, aut ad pronuntiandum nomen *Jesu* ore aut corde, quia ut Indulgentia prosit, necesse est ut clavis non erret nec Fidelis deficiat 6. In Benedictionibus avenæ, vini, palmarum, esculentorum, curet, eliminari puerilia, indecora, superstitiosa per breves exhortationes, in quibus scopum & fructum Benedictionis exponet 7. Si nulla qualitas stolæ præscribatur, utatur tali, quæ pro ratioue temporis, aut officii occurrit. semper veró tectô eapite benedicat, & aquâ lustrali aspergat.

Assignantur Alumnis variæ Benedictiones exercitii causâ.

APENDIX

AD

PARTEM SECUNDAM.

§. 54.

Leges Regni quædam.

De occnpattone animalium. Parte 1. Tit. 9. §. 107. Bestiæ, volucres, feræ & quodcunque animal á legitimo Posseßore propter infirmitatem derelictum, sunt primi occupantis, quare licet ursos, lupos sine læsione tamen fundi, aut juris venationis capere & occidere, foveas quoque ad lupos capiendos septos tamen effodere fas est, ne homines & animalia in illas incidant. Apes veró & Pisces in alienum fundum evadentes Dominus ubique prosequi & occnpare potest. Columbaria cuivis agrorum Posseßori fovere licet.

De inventione Parte I Tit 9 § 14 Res inventa reddenda est Perditori. Si verô Perditor ignotus est, deponenda est in proximo judicio ad effectum instituendæ indagationis. Si Perditor compareat, potest inventor decimam partem valoris rei ab illo exigere. Si veró post factam indagationem non compareat Perditor, tunc inventor totam rem acquirit, si 100. Imperiales non superat. Si

verô superat, inventor 100. Imperiales acquirit, & reliquum inter pauperes loci & inventorem dividitur. Si inventor rem inventam ultra 3. dies Judicio significare differat, tunc perdet mercedem, si ultra. 4. Hebdomadas rem reticet, ut Posseſsor malæ fidei consideratur, si inventam rem coram Judicio abnegat, punitur ut fur.

De thesaurorum Inventione: Parte 1. Tit. IX. §. 74 Inventus thesaurus semper Judicio intra 4 hebdomadas ad effectum instituendæ indagationis significandus est. Si Dominus thesauri non reperitur, thesaurus pertinet ad inventorem si fundi Dominus est, in quo illum invenit. Si thesaurus verô in alieno fundo fortuitò, aut cum scitu Proprietarii a laborantibus *vg.* famulis inventus fuerit, tunc medietas Domino fundi, altera medietas inventori adjudicatur. Qui veró in alieno fundo thesaurum invenerit sine scitu Domini aut modis illicitis *vg* veneficiis, aut Judicio non significaverit, tunc thesaurus pertinet ad fiscum.

De Alluvione Parte *1ma* Tit. 9. §. 223. Si impetus aquæ aliquam partem soli alieni tuo agro adjecerit, & infra annum non repetatur, tunc a te poſsideri potest Alluviones latentes sunt ejus, cujus littori adjiciuntur, dumodo arte *vg.* plantatione non acquirantur. Acceſiones juxta jus Romanum statuuntur, adeoque quod tuo fundo accedit, tibi accedit.

§. 55.

Casus et Excommunicationes Episcopis de jure Reservati.

1. Percufsio Clerici levis, vel gravis a muliere.
2. Absoluti a Censura ab homine in articulo mortis & se sani non præsentantes.
3. Fratres minores admittentes ad officia divina Fratres 3tii ordinis.
4. Procurantes abortum foetus animati secutô effectu.
5. Communicantes cum excommunicato ab Episcopo in eodem crimine.
6. Monitorium & similia non servantes.

Circa casus reservatos fine Censura inspiciatur cujusvis Diœcesis approbatio seu Instrumentum.

§. 56.

Excommunicationes non reservatæ.

1. Vexantes Ecclefiafticos, quod non elegerint rogatum.
2. Directores Monialium foventes discordias in Electione,
3. Extorquentes absolutionem a censura per vim.
4. Compellentes Ecclefiafticos, ut laicis submittant jura Ecclefiæ.

5. Docentes Religiosos medicinam, aut leges, poſtquam habitum dimiſerunt.
6. Sepelientes etiam toleratos excommunicatos, interdictos, vel uſurarios publicos.
7. Impedientes Viſitatores Monialium.
8. Contrahentes Matrimonium cum Monialibus vel in gradibus prohibitis.
9. Edentes gloſsam in Concilium Tridentinum Pius IV.
10. Imprimentes libros ſine licentia Superiorum Leo X & Trident,
11. Profeſsores non profitentes fidem, ubi Bulla Pii IV. recepta eſt.
12. Non adminiſtrantes juſtitiam Eccleſiaſticis.
13. Foventes uſuras.
14. Ratihabentes collationem ordinis, aut Beneficii a Schismaticis.
15. Occupantes bona Eccleſiæ titulo Regaliæ
16. Procurantes, ut Conſervatores Regularium ſe immiſceant inviolentiis aut injuriis.
17. Judices ficté accedentes ad excipiendum Teſtimonium a mulieribus.
18. Mandantes Chriſtianos interfici per asſaſsinos.
19. Concedentes aut extendentes Repreſsalia ad Eccleſiaſticos.
20. Impedientes ſequeſtrationem Beneficii factam ab ordinario.
21. Pingentes, inaurantes Agnos Dei a Papa benedictos.
22. Non denuntiantes Episcôpo Magos, blaſphemos, hæreticos.
23. Permittentes agitationes Taurorum periculosas in terris ſuis. Pius V.

Contra Clericos.

24 Audientes publice jus aut Medicinam.
25. Sacerdotes suscipientes Præfecturas sæculares.
26. Locantes domos usurariis.
27. Locantes vel alienantes ultra triennium bona Ecclesiastica
28. Impugnantes in Concionibus montes pietatis Leo X.
29. Contrahentes Matrimonium in sacris
30. Resignantes aut permuttantes ficte Beneficia Pius V.
31. Absolventes a casibus Bullæ Cœnæ.
32. Ingerentes se in alterius officium vg. Episcopatum sine licentia
33. Procurantes occupari jura seu bona Ecclesiæ vacantis.

Contra Religiosos.

34. Audientes jus aut Medicinam extra claustra.
35. Dimittentes temeré habitum, aut contrahentes Matrimonium
36. Instituentes novum Ordinem sine licentia Papæ.
37. Accedentes Principes ad nocendum Monasterio vel Prælato.
38. Tenentes arma in claustro sine licentia.
39. Non servantes interdictum, dum in Cathedra servatur.
40. Non implentes statuta Alexandri VII. in Visitatione Monialium subjectarum
41. Occupantes decimas Ecclesiæ aut solvere prohibentes.

42. Mendicantes alienantes domos aut novas recipientes sine licentia Papæ.
43. Non ſervantes Interdictum Papæ seu Episcopi.
44. Capucini recipientes Minores ſine Papæ aut Generalis licentia.

Contra Episcopos.

45. Venientes Romam, & sine licentia Papæ recedentes.
46. Impetrantes a Principibus literas ad dignitatem Pius IV.

Contra omnes ex Tridentino.

47. Imprimentes, retinentes, vulgantes libros de rebus sacris ſine nomine Authoris, aut approbatione Ordinarii.
48. Docentes, Confeſsionem non eſse necessariam ante Euchariſtiam.
49. Raptores mulierum, juvantes, faventes.
50. Cogentes Matrimonium contrahere cum præscriptis seu bannitis.
51. Requisiti Magiſtratus ad reſtituendam monialium Clausuram. & non juvantes.
52. Ingredientes Monaſterium ſine licentia in scripto.
53. Cogentes ad ingreſsum vel Profeſsionem Religionis.
54. Concedentes locum pro Duello.

§ 57.

Excommunicationes Papæ reservatæ in jure, et extra jus.

1. Incendiarii denuntiati.
2. Falsificantes literas Apoſtolicas aut non deſtruentes tempore præscriptô.
3. Effringentes & spoliantes Eccleſias
4. Communicantes cum excommunicato a Papa in eodem crimine.
5. Vexantes ferentes Censuram in alios.
6. Absoluti a Censura excommunicationis sub conditione. & eam non adimplentes.
7. Violantes interdictum Papale.
8. Dantes ex pacto aut recipientes pro admiſsione in Religionem.
9. Simonia realis aut confidentialis in Beneſicio, aut Ordine.
10. Impedientes executionem literarum á sacra Poenitentiaria Julius III.
11. Dantes aut recipientes aliquid pro gratia aut juſtitia apud sedem Apoſtolicam.
12. Duellantes, spectantes, svadentes, etſi effectu non secutô Benedictus XIV.
13. Mulieres ingredientes Religiosorum Monaſteria ob malum ſinem.
14. Impugnantes Inſtitutum Societatis Jesu.
15. Procurantes jurare illicita, vel contraria libertati Eccleſiaſticæ.
16. Rapientes bona Eccleſiaſtica, & imponentes tributa in Eccleſiaſticos injuſté.
17. Violantes immunitatem Eccleſiaſticam, Gregorius XIV.

18. Docentes fieri poſse Confeſsionem Abſenti Confeſsario.
19. Damnantes alterutram opinionem de immaculata Conceptione B. V. M. publicé,
20. Percuſsio enormis Clerici.
21. Perſeverantes in excommunicatione per annum a delegato Papæ.
22. Offendentes Cardinalem.
23. Exigentes tributa a perſonis Eccleſiaſticis, illegitimé.
24. Violantes interdictum modis prohibitis.
25. Exénterantes corpora Sanctorum.
26 Mentientes Perſonas in literis Apoſtolicis, ut expediantur gratis Leo X.
27. Accipientes ſtipendium pro Miſsa, & minus dantes Benedictus XIV.
28. Occupantes bona Eccleſiæ, aut montis pietatis, vel ea prohibentes regere.
29. Ingredientes Monaſterium sub prætextu privilegii.
30. Retinentes capientes Chriſtianos inter Turcas degentes, aut eorum bona, aut remeare cogentes
31 Occupantes fructus Beneficii vacantis, aut exigentes pro eorum Poſseſsione.
32. Publicantes indulgentias falsas Solventibus permittere eligere Confeſsarium.
33. Diripientes bona, animalia ex ſtatu Eccleſiaſtico, aut ea ementes Gregorius XIII.
34. Docentes fieri poſse Confeſsionem per literas Clemens VIII.
35 Extrahentes frumenta ex ſtatu Eccleſiaſtico ſine licentia Papæ Paulus V,
36. Docentes, aut defendentes opiniones damnatas.

§. 58.

Contra Clericos, Religiosos, Episcopos.

37. Absolventes complicem in sexto præcepto, aut sollicitatam ad turpia in Confefsione.
38. Participantes in sacris cum excommunicato a Papa.
39. Procurantes alienationem Ecclefiarum.
40. Prædicantes tempus futuri judicii, vel antichrifti.
41. Parochi non implentes juramentum circa residentiam factum.
42. Mendicantes transeuntes ad alium Ordinem præter Carthufianum fine licentia.
43. Moniales fine licentia extra clauftra exeuntes
44. Religiosi fine licentia Parochi miniftrantes Sacramenta ægris.
45. Inducentes ad jurandum de eligenda sepultura, aut mutanda in Ecclefiis Religiosorum.
46. Alienantes bona Ecclefiæ per sortes, timorem, gratiam, & consentientes.
47. Concionatores non servantes Decretum Lateranense Leo X.
48. Euntes ultrâ mare fine licentia superiorum.
49. Superiores non denuntiantes suspectos de hæresi Paulus V.
50. Minores de Observantia subornantes vota in Electionibus
51. Clauftrales suscipientes minimos fine licentia Papæ Julius II.
52. Tertiarii portantes habitum Minorum.

53.

53. Episcopi conferentes Beneficia sibi resignata contra præscripta Pii V,
54. Cardinales ambientes Papatum.
55. Trahentes Ecclesiasticos ad forum laicale.
56. Domini cogentes celebrare & audire divinum officium in loco interdicto.
57. Bannientes Ecclesiasticos, mandantes, ratihabentes.
58. Episcopi delinquentes contra diffamatos de hæresi.
59. Recipientes munera pro statu Ecclesiastico exceptis comestibilibus.
60. Defendentes licitam praxim excipiendi complices in Confessione.
61. Nolenter exire ex Ecclesia Excommunicati vitandi moniti a Celebrante, vel prohibentes exire.
62. Absolventes a Casibus Papæ reservatis Et aliæ multæ.

§. 59.

Excommunicationes in Bulla coenæ reservatæ.

1. Hæretici, Apostatæ, Schismatici, legentes eorum libros, Fautores.
2. Appellantes à Mandato Papæ ad generale Concilium, Faventes.
3. Latrunculi discurrentes per mare Papæ. Eorum Fautores & Receptatores.
4. Surripientes bona naufragantinm Christianorum, licet in littore inventa.
5. Imponentes sine potestate pedagia, gabellas aut augentes.
6. Falsificantes literas Papæ aut Viceeancellarii.

7. Deferentes arma canaben equos ad Turcas seu hæreticos eorumque Fautores.
8. Impedientes victualia curiæ Romanæ.
9. Detinentes interficientes Romipetas, aut Romæ degentes vel inde redeuntes.
10. Incarcerantes Patriarchas, Nuntios ex urbibus expellentes.
11. Percutientes, spoliantes gestatores negotiorum curiæ Romanæ.
12. Capientes, deprædantes Romipetas causâ devotionis aut capientes.
13. Recurrentes ad laicam potestatem prætextu appellationis Impedientes litteras Apostolicas.
14. Advocantes causas spirituales *vg.* decimales Beneficiales ad se.
15. Trahentes Collegia aut Personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal.
16. Impedientes Jurisdictionem Episcopi aut Prælati.
17. Usurpantes, sequestrantes reditus Papæ Monasterii Beneficii, Ecclesiæ aut Personas.
18. Imponentes Ecclesiasticis aut eorum reditibus onera.
19. Interponentes se contra Ecclesiasticos in causis criminalibus.
20. Invadentes terram, aut Jura Ecclesiæ Romanæ.
21. Absolventes ab his, aut aliis reservatis casibus. Qui tamen casus non est reservatus vi Bullæ sed ex jure.

§. 60,

Conditiones ad Reservationem Casûs et Regulæ.

Completum Externum Certum Mortale.
Favores.
Auge, odia ſtringe, a potiori ratio nulla eſt.
Mas annos habeat bis septem, foemina, bis sex.
Solvo mandantes, quando non jura reservant.
Ab his tamen casibus simplex Sacerdos absolvere poteſt. 1. in articulo mortis. 2. tempore Jubilæi. 3. Si directé vel indirecte ſit absolutus ab habente poteſtatem. 4. In casu scandali, aut neceſsitatis juxta aliquos.

§. 61.

De cognatione carnali.

Quoniam juxta Regulas in Theologia traditas Personæ in linea recta & *obliqua æquali* tot gradibus a se diſtant, quot á communi diſtant ſtipite, in linea *transversa in æquali* autem tot, quot eorum remotior diſtat a communi ſtipite, igitur ad bene manu tenendas has regulas, quædam voces occurentes explicandæ videntur ad faciliorem praxim.

Avus *Dziad* in 2do, Praavus *Pradziad* in 3tio mecum gradu eſt lineæ rectæ ascendentis, & ſic ultra *Patruus Stryi ieſt*

Bratém mego Oyca. Matertera *Ciotka, Sioſtra moiey Matki*, adeoque secundo mixto primo gradu lineæ obliquæ a me diſtant.

Avunculus *Wuy lub Brat moiey Matki.* Amita *Ciotka po Oycu lub Sioſtra mego Oyca.* Secundo taliter gradu mixto primo diſtant a me in linea obliqua.

Patruelis *Brat Stryieczny*. Consobrinus *Brat wuieczny.* Amittinus *Brat Cioteczny*, sunt mecum in secundo gradu æqualis lineæ obliquæ & ſic deinceps uti ex sequenti Tabula patet.

Tabula I.

§. 62.

Licet vix occurere poſsit difficultas in adinveniendo gradu cognationis spiritualis aut legalis, quia raro contingit, ut officiosè aliquis pro filio in judicio adoptetur, & spiritualis inter Baptisantem seu Confirmantem Levantes, Baptisatique, aut Confirmati Patrem & Matrem tantum reſtringatur, quia tamen viva & scripta fortius memoriæ imprimuntur, igitur, juxta ordinem utramque Tabulam Spiritualis nempe & legalis apponere placuit.


Tabula I.


Figura 2da et fol. 85.

TABULA I.

FIGURA I.


ARBOR CONSANGUINITATIS.





Cognatio Legalis.
Adoptatus.
Uxor Adoptantis.
Affinitas.
Affinitas.
Filius Naturalis Adoptantis.
Linea Collaterali.
Adoptans.
Uxor Adoptati.
Nepos Naturalis Adoptantis.
Linea Collaterali,
Filius Adoptati.
FIGURA 2da

Cognatio Spiritualis.



§. 63.

De Affinitate.

In affinitate sequentes voces occurrere posſunt, quæ Tyroni aliquam difficultatem movere posſunt. Vitricus *Oyczym ieſt mężem moiey Matki.* Noverca *Macocha ieſt żoną mego Oyca.* Socer *Swiekr Oyciec żony lub Męża.* Socrus *Swiekra ieſt Matka Męża lub żony.* Privignus *Pasierb ieſt to Syn męża z inney Matki lub Zony, Syn z inne-*

go męża. Idem de Privigna *Pasierbica* Gener *Zięć*, *to iest mąż Córki*. Nurus *Synowa albo Zona Syna*. Levir *Dziewierz Brat męża*. Sororius *Szwagier mąż moiey Siostry, lub Brat moiey żony*. Fratrissa *Bratowa żona Brata*. Et quoniam in adinveniendo gradu affinitatis hæc unica statuitur Regula. *Persona quælibet in eo gradu affinis est ei; qui copulam habuit cum consanguineâ sua, in qua ipsa huic consanguinea est*, adeoque juxta infra scriptam Tabulam facile determinari poteſt, quoto in gradu Consanguinei uxoris tantum, sint affines relicto marito & vicissim.


TAB: II.

§. 64.

Ut Impedimentum publicæ honestatis, & affinitatis ex copula illicita magis innotescat, pro utroque adinveniendo peculiaris Tabula apponitur.

Figura 3. Tab. I. et Figura 4. Tab. II.

ARBOR AFFINITATIS.



Honestas publica ex sponsalibus ad 1mum tantum gradum.




FIGURA 3.

AFFINITAS
Ex Copula Carnali illicita.
Ad secundum gradum.




FIGURA 4.

PARS III.

DE
EXEMPLO PASTORIS.

§. 65.

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, integritate, gravitate morum, verbum sanum irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, nihil habeat malum dicere de nobis dicebat S. Paulus Pastori gregis *ad Tit:* 2—7. quatenus non verbo tantúm sed bonô etiam exemplô concreditas sibi oves Deo lucrifaciat, & quô non Christus tantum & Apostoli, sed alii boni Pastores æque ac prædicationibus suis magnam fecerunt messem. Meminerit ergo Pastor, voci suæ vocem dare virtutis bonó exemplô, alioquin subsannabit eum sapiens uti pigrum, cui labor sit manum ad os admovere, alios docens seipsum non doceret Qualis enim erit ædificatio populi ait S. *Hieron: si intelligat se Magistro esse majorem. Unde non solum Episcopi Presbyteri Diaconi; sed et Exorcistæ Lectores æditui Acolithi conversatione sermone, ac scientia cæteros præcedere debent, quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos quam Clericos.*

§. 66.

Quomodo bonô exemplô prælucendum.

Dictis & *factis* luceat omnibus tanquam lucerna super candelabrum posita. Verba debent sonare non divitiarum, honorum, voluptatum, cupiditatem, sed contemptum. *Factis* monſtret, quod non se aut sua, sed Jesum Chriſtum quærat. Fugiat ergo familiaritatem cum mulieribus, compotationes, convivia, commeſsationes, otium, inutilia colloquia, avaritiam, arrogantiam, insinuet verô in mensa & suppellectili modeſtiam, in egenos liberalitatem, divinarum litterarum ſtudium, ita ut oculi geſtus, actiones spirent eum, cujus Vicarius oſt in terris.

§. 67.

An sufficiat, non præbere malum exemplum.

Eritis mihi teſtes in Jerusalem usque ad ultimum terræ, ajebat divinus Salvator suis discipulis, qui non verbis tantum sed & factis Chriſto teſtificabantur, Nam erant potentes opere & sermone. Unde non verbis tantum & Sacramentis, sed etiam bono exemplo Fideles pascendi sunt. Sine bono exemplo Paſtoris juſti aliquando prolabentur, & peccatores non juſtificabuntur. *Mors* enim Patri imputatur, si filio alimenta non præbet, macies gregis imputatur Paſtori, qui

eum non pascit, mors medico, qui ægrum non curavit, ergo & mors imputanda Paſtori, si bonô exemplô mala a grege suo non avertit.

§. 68.

Quomodo domi exemplariter vivendum.

Non putet Paſtor, pro Seminariſtis duntaxat in Seminario præscriptam eſse horam meditationis, lectionis, doctrinæ, manducationis & conversationis, sed sciat etiam domi omnia tempus habere, ordinemque occupationum manutenandum eſse juxta normam in Seminario præscriptam, ut sciat quomodo *oporteat eum conversari in domo Dei, Timot: 3—15* Non intermittat ergo meditationem surgendo mane. Legat sacram scripturam *quæ utilis eſt ad docendum et erudiendum in juſtitia 2.* Tim: 16. Præparet se ad miſsam in Ecclesia, ibique horas dicat. Poſt Miſsam, si nulli sint ad Confeſsionem attendat Lectioni, adhortationi & Doctrinæ Elaboret Conciones & Catecheſes usque ad Prandium, Poſt Prandium exemplo S. Pauli vacet manuali operi, legat bonos Theologos, dicat Vesperas & matutinum, & si tempus suppetat, legat aliquem librum spiritualem & sumptâ coenâ, factâque modicâ deambulatione examen generale peragat & quiescat. Hic ordo ferialibus diebus observatus a multis peccatis Paſtorem præservabit, adque perlegendam totam sacram Scripturam & Theologiam quotannis adducet.

§. 69.

Quomodo Paſtor oves cognoscere poſsit.

Apud plurimos Paſtores cognitio ovium in eo consiſtit, quod sciant numerum Communicantium Bonus econtra Paſtor circa novum annum, dum ſtrena peragitur, aut poſt Pascha dum chartæ recipiuntur peractæ Confeſsionis, domatim Parochiam circumit, omnium nomina in Catalogum refert, quemque in fide & bonis moribus examinat, & ſic inſtructiones adhortationes, datô locô & tempore cuivis adaptat, ut in numeroſiſsima etiam Parochia fructus accrescat.

§. 70.

Quomodo Verbo prædicationis Eccleſiam ædificare poſsit.

Raræ hodie Catecheſes, rariores autem ad inſtruendum populum accomodatæ, sunt Conciones vel sunt frigidæ, vel ineptæ aut ſteriles, ut nemo miretur quosdam Chriſtianos minus scire de vera fide heterodoxis, totumque quod sciunt, conſiſtere in male intellectis oratiunculis, formulis, ritibus, rosariis, quæ sine viva fide & charitate hominem emendare non poſsunt. Dum econtrâ bonus Paſtor præter privatas monitiones,

& quotidianas poſt Miſsam quotidianam preces cum brevi & affectuosa exhortatione, nec non præter peculiares Catecheses pro Cummunicaturis prima vice, quovis feſtivô & Dominicô die semel per se, altera vice per Vicarium prædicat, ut tota Parochia verbo Dei pascatur, idemque quo ad Catecheses facit. Nam Paſtor ante vel poſt Vesperas ipse catechisat, dum ejus Vicarius interea remotioribus ab Eccleſia in vicis & pagis panem verbi Dei frangit.

§. 71.

Quomodo Baptismus exemplariter adminiſtretur.

Mercenarii Paſtores admittunt ad suscipiendum de sacro fonte infantem plusquam par ob solum quæſtum, nihil unquam dicunt de neceſsitate Baptismi, contracta cognatione spirituali, aut ritibus, officio Patrinorum, sed bonus Paſtor arcet ignorantes fidei myſteria, aut irretitos aliquo notorio delicto non tam ad eorum confuſionem, quam emendationem. Ante Baptismum adſtantes ad devotionem excitat, oblata ex consvetudine fabricæ Eccleſiæ aut suppellectili addicit, ſicque eum omnes ut suum Patrem & dignum Chriſti Vicarium venerantur.

§. 72.

Exemplaris Praxis quo ad Confirmationem.

Multis in Paræciis nulla per annum fit Confirmationis mentio, tamen ad subitaneum Episcopi adventum undique parvuli adducuntur, qui indispositi confitentur, absolvuntur, confirmantur. Dum econtra bonus Pastor audita notitia de futura in vicinia confirmatione, peculiares ad hoc instituit Catecheses. Custodientibus pecora comendat Pastor, ut alii pro aliis gregi invigilent. Inculcat Parentibus, ut verbo precibus & vigilantia innocentiam in prole præparationis causâ custodiant. Omnes vero hortatur, ut vòtô saltem Sacramentum Confirmationis expetant.

§. 73.

Exemplaris Administratio Sacramenti Poenitentiæ.

Mercenarii Pastores non nisi circa Pascha audiunt Confessionem, & ut ingentem numerum expediant, operarios in auxilium vocant, qui ignotum sibi populum, rudem, raro confiteri solitum variis habitibus irretitum audiunt, absolvunt, adque Communionem mittunt! Raro Dominicis, rarius ferialibus diebus auditur Confessio. De differenda absolutione nec mentio, nec suspicio;

Bonus autem Pastor noscens infectum gregem suum, veram prædicat Poenitentiam, quæ in dignis bonæ vitæ fructibus consistit, hancque nonnisi labore, precibus & directione discreti Confessarii obtineri. Docet intollerabilem esse abusum sine vitæ emendatione Sacramenta suscipere, & diuturnum habitum viam esse, quæ ducit ad perditionem. Quotidie sedet pro tribunali, atque sic prædicatione ejus & exemplô commoti accedunt ad Confessionem, qui nunquam peccata rite expiaverunt. Quia verô plerumque rudes & inveterati peccatores indigent Confessione generali, ideo eos ita dextrè circa totam vitæ seriem interrogat, ut nescientes faciant generalem Confessionem, & ad eam excipiendam pomeridianum etiam tempus insummat. Quomodo talis Pastor a populo benedicitur!

§. 74.

Exemplaris Administratio Eucharistiæ.

Singularis videretur in quibusdam Paræciis & omnium admirationem in se concitaret, qui Dominicô aut feriali die confiteri vellet. Prima parvulorum Communio, a qua nimis multum pendet, non curatur & fit plerumque extra Parochiam. Vel si fit in Paræcia, proponuntur steriles quædam interrogationes circa fidei articulos, ad quas divinando respondent frigidô corde. Interim quivis post annum 12. & 13. instructus

supponitur, absolvitur, & ad Communionem nihil sciens de Christi præsentia in Eucharistia aut non intelligens mittitur. Bonus autem Pastor quasi novitiatum instituit, bis aut ter pueros in hebdomada convocat, addiscenda injungit, injuncta explanat, callentibus chartam distribuit, non callentes ad futurum annum relinquit, pnblicam Communionem cum vivida exhortatione præsentibus & non raro flentibus Parentibus instituit, & continuis per annum Catechesibus eos imbuere non intermittit.

§. 75.

Bona exempla circa Extremmam unctionem et Sepulturam.

In urbibus plerumque Religiosi Nobilibus & divitibus à Confessionibus sunt, & Parochus administrato Viaticô & extrema unctione, se officio suo functum esse putat, si in juribus exigendis fuit exactus, nihil interea sollicitus, utrum infirmus blasphemus publicus peccator, aut ignorans fuerit. Bonus econtra Pastor sæpe infirmum visitat, & auditum à Religioso quærit, num rite quo ad numerum confessus fuerit, scandalum reparaverit, non laboret aliqua ignorantia, credens se in vitæ periculo ovibus suis tutissime consulere debere, sicque bene disposito moribundo libenter adest.

§. 76.

Exemplum bonum circa Ordinationem.

Mercenarii Paſtores amicos consanguineos, aut demoratos in sua Paræcia licet bonis, moribus & scientia non inſtructos teſtimoniô suô ad ordines commendare conantur, non advertentes, inde multiplicari quidém gentem, sed non multiplicari lætitiam. Dum econtra verus Paſtor considerans tantam Sacerdotum turbam ex solo Miſsarum ſtipendio, aut fructibus Beneficii victitantem, nec verbo, nec exemplo, aut oratione ædificare Eccleſiam, iis tantum teſtimonia præbet, qui vera vocationis ſigna præseferunt. Quapropter quatuor anni temporibus populo inculcat, ut jejunium, & fervidas orationes pro neo ordinandis Deo offerant, & ad altare Dei pro se gratiam implorare non negligit.

§. 77.

Exemplaris Adminiſtratio Matrimonii.

Plerumque nuptiæ cum periculosis tripudiis ubique celebrantur. Rariſsime aliquis ob scandalum, aut ignorantiam a nuptiis arcetur. Bonus Paſtor omnes in Eccleſia majoris reverentiæ causâ examinat, dicens præsentibus, ne sponsi a vobis rideantur, forte vobismet nescientibus, hinc dum male respondebunt, vos corrigetis. Ad accuratam saltem, ſi non generalem Confeſsionem ad

hortatur. Tripudia prohibet. Peccantibus publice, coram præsentibus veniam petere jubet, alias nuptias non benedicturus.

§. 78.

Exemplum circa eliminanda quædam peccata.

Omnes vident & mirantur, tot in tabernis, Bachanalibus, nuptiis, dedicatione Ecclesiæ committi ebrietates, pugnas, discordias, originem tamen horum non inquirunt nec remedium provident. Bonus Pastor convenit Dominos Caupones, Parentes, inculcans illis, quam magnum sit peccatum, per subministrationem cremati, aut non reprehendendo maledicta, pejerationes alieno peccato cooperari, interrogat eos de hoc in Confessione. Inculcat legem Regni, vi cujus non nisi finita devotione in popinis honesto lusu, & mediocri potu se reficere & recreare liceat. Denuntiaturum se minatur, caupones, si non se emendaverint. Sicque paulatim malæ consvetudines desſvescunt, Caupones Domini, Parentes, sunt veluti Concionatores domús, bonis moribus invigilant, delinquentes corrigunt, sicque peccata eliminantur.

§. 79.

Exemplaris devotio in Ecclesia et domi.

Toleratur proh dolor a multis Parochis! quod domi mane & vespere non nisi *Angelus*

lus Domini recitetur & vix aliquando mentio fiat de Dei, & Ecclesiæ præceptis, Sacramentis. Imo in Ecclesiis multis, loco Catecheseos, aut alterius devotionis quæstus forte causâ confluentibus semper *Ave Maria* dicendum injungitur, & nunquam *Credo* — Bonus Pastor nullum nisi callentem omnia necessaria necessitate medii & præcepti ad Sacramenta admittit. In Ecclesia populus semper est utiliter occupatus, quia tabernis vacuis oratur, cantatur, catechisatur vel aliquid spirituale legitur. Domi Patresfamilias cum domesticis in communi absolvunt preces matutinas & vespertinas, negotiaque sua piis cantilenis intermiscent etiam ferialibus diebus, ita ut spiritum primitivorum Christianorum reviviscere crederetur. — Faxit Deus, ut omnes meliora probantes, meliora quoque imitemur.

Diutius pinguit huic parti inhærere, cum in Seminariis frequentia de bono exemplo habeantur colloquia.

F I N I S.

HERMENEUTICA

VETERIS

ET NOVI TESTAMENTI.

NECNON

LITURGICA

Missalis et Psalmodica.

VARSOVIE

ANNO 1805.

ELENCHUS RERUM HERMENEUTICARUM ET LITURGICARUM.

Judith

De Libris Novi Testamenti.

Liturgica.

Epito-

E R R A T A

Pag: Vers:		*Corrige.*
1—11	serutari	scrutari.
5—24.	frugmentis	fragmentis
26.	syrice	26 Syriace.
6— 9	Copiaa	copia.
7—22.	determiana. bantur	determinabantur.
11—17.	& scrupulose	sed scrupulose.
22—26	I. Libr 29-30.	I Lib: 29—29.
25—12	indentisicetur	identificetur
16	Herodatus.	16 Herodotus.
35—25	vexatiomem	vexationem. 29
29	Math 39.	Math. 12—39.
42—10.	Incriptione	inscriptione 22 ob.
22.	ab.	
44—15.	invalere	invaluere.
48—12.	nunt	sunt.
55— 7	expedionem	expeditionem.
59— 7.	transquillam	tranquillam.
64—30.	profligatur	profligatus.
70— 1.	eræam	Peræam.
71— 4.	ad	ab,
74— 9.	hujmodi	hujusmodi.
76—18.	spathmam	spithamam
	21,2009.	21, 2000.
77— 3.	Cubus	Cabus.
78—16.	menetæ	monetæ.
83— 5.	inculus	incultus.
94—15.	resurgen	resurgent.
102—3	coaetionem	coactionem.
108—1.	adbitur	adhibetur.
111—2.	Scirpta	scripta.

Pag: Vers:		*Corrige.*
120—10.	ab	ob.
121—13.	discripare	discrepare.
123—22.	Tom. 4.	Tim 4.
128—22.	decima	decimaquarta.
123—24.	cocedere	concodere
140—28.	divervitatem	diversitatem.
141—42.	Mozabicus.	Mozarabicus.
197—17.	Eestum	Festum.
201—21.	absolutionis	absolutionibus.
203— 8.	de Teum	Te Deum.
—30.	Antyphonæ	Antiphona.
204—12.	Otionibus	Orationibus.
—13.	vere	vero.
207—22.	ad singulns	ad singulas.
214— 4.	im	in

PRAEPARA-

PRÆPARATIO
AD
HERMENEUTICAM
SEU
Scientiam rectè exponendi Codicem Divinum, ad usum Seminarii Varsaviensis ad Sanctam Crucem, die 12. Septembris Anno Domini 1804.

De Scriptura Sacra in genere.

1mo.

Cum Salvator *Scripturam scrutari* mandet (a), eaque, apta s t ad *docendum et arguendum* (b), multi quoque ex gentilibus, putá Justinus, Athenagoras, Theophilus, lectione illius veram Fidem edocti sint, omnesque Ecclesiæ Patres ad sæculum XIII. lectionem illius suaserint; hinc non obstante Concilii Tolosani prohibitione 1229. et Indice Romano 1564. quæ tantum propter corruptas hujus temporis versiones, et ignorantiam lata fuit, cuique sacram Scripturam in vulgari lingua

(a) *Joan.* 5. 39.
(b) 2. *Timoth.* 3. 16.

ab Episcopo approbatam legere fas eſt, et Jndici Romano revisione Episcopi et contrariâ consvetudine derogatum eſt. A fortiori in Hebræa, Græca et Latina lingua illam legere cuivis licet.

2do.

Libri Scripturæ Sacræ genuini sunt.

Si non dubitatur de Authoritate Virgilii, Homeri, Ciceronis, cur quæso de Moysis, Lucæ, Pauli libris dubitandum foret? dum lingua, mores, et argumentum narrationis, tam Judæis, quam Chriſtianis pro quibus scripti sunt, accomodatissima sint, et nec ab uno, vel à pluribus, nec eodem vel vario tempore, non cum, aut sine condicto supposita aut ficta fuisse admitti possunt, quin Author, locus et tempus, et modus adulterationis nominentur et probentur. Jmo nec textus hebræus ab Judæis ex odio Chriſtianæ Religionis depravatus fuit, quia ante Chriſti Nativitatem nullam adulterationis causam habuerunt, neque hæc depravatio in omnibus exemplaribus fieri potuit. Chriſtus Dominus etsi alia crimina Judæis objecit, nullibi tamen adulterationem Scripturæ. Conqueruntur quidem Juſtinus, Origenes et Hieronymus, quod Judæi varios textus depravaverint; sed vel

revocant querelas suas, vel originarium textum habere non poterant. Si ergo in Scriptura inveniuntur aliquæ leves mutationes vel errores, ii amanuensibus adscribendi sunt. Nulla enim profana scriptura ab hujusmodi erroribus libera eſt, et tamen hoc authenticitati ejus non præjudicat.

3tio.

De Canone Sacræ Scripturæ et numero Sacrorum Librorum.

Nomen Canonis nonnisi poſt Chriſti Nativitatem usu venit, et nonnisi illi libri Canonici reputabantur, qui poſt captivitatem Babylonicam a Judæis collecti in templo reponebantur, et Sacri vocabantur. E contra illi libri, qui poſt collectionem comparuêre, Apocryphi seu non Sacri dicebantur. Dividebantur plerumque in *Legem*, *Prophetas et Psalmos* (c) et Josephus illorum numerum reſtringit ad 22. licet eos non nominet. Melito, Origenes, et sequentes Patres totidem Divinos seu Canonicos libros numerant: Eosdem et totidem *Talmud* comprehendit, et Judæi suscipiunt, hoc discrimine, quod duo opera a Josepho enumerata in

(c) *Lucæ* 24. 44.

quatuor dividantur, adeoque 24. libri Canonici numerentur et Protocanonici dicantur. Jn hac collectione quidem non comprehendebantur *Baruch*, *Tobias*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, et *duo Libri Machabæorum*, quia post clausum Canonem lucem aspexerant. Interim noti erant Judæis in Egypto et Palæstina, et Alexandrini Jnterpretes hos Deutorocanonicos, Protocanonicis adnumerabant, ex quo Vulgata Versio pro Latina, sicut Græca 70. Jnterpretum Versio, pro Græca Ecclesia prodiit. Paulatim Patres Ecclesiæ tanquam Divinos libros reputabant, seu Proto seu Deutorocanonicos, ex iis depromebant argumenta ad stabiliendam virtutem, ad adversarios insectandos, jamque in III. Synodo Carthaginensi 397. ab Jnnocentio I. Augustino, dein a Cassiodoro, Eugenio IV et tandem in Tridentina Synodo una cum novo Testamento tanquam Divini in Sacrum Canonem relati sunt.

4to.

De Jnspiratione Sacrorum Librorum.

Certum est *Spiritu Sancto inspiratos locutos fuisse Sanctos Dei homines* (2. Timoth. 3. 16.) et a *Domino dictum est per Prophetas* (Math 1. 22.) Non conveniunt verô, quid per inspirationem intelli-

gatur. Alii non solùm Dogmata, sed sensum et verba, à Deo inspirata esse volunt. Sed tali modo, ut vult Estius Sacri Scriptores sese mere passivè haberent. Alii solum extraordinarium auxilium Dei per inspirationem intelligunt, vi cujus sacer Scriptor res Dogmaticas et Morales sine errore scriberet, et hæc sententia verosimilior eſt admittenda. Nam in Sacra Scriptura occurrunt prædictiones futurorum, quæ sine speciali auxilio Dei, aut revelatione sciri nequeunt. Non tamen ad omnia revelatio Dei admittenda eſt, quia Moyses et Apoſtoli sœpé teſtes erant eorum, quæ fiebant, ad quæ conscribenda à Dei Spiritu afflatos fuisse seu inspiratos Scriptores, non eſt ambigendum, quia in S. scriptura generaliter dicitur; Scriptores Divinos tam ad dogmata, quam ad facta à Dvino Numine afflatos fuisse, *Lucæ* 12. 11. *Joan.* 15. 26.

5to.

De lingua Hebrœa et Grœca, quâ conscriptus eſt Divinus Codex.

Quoniam Vetus Teſtamentum linguâ Hebræâ, exceptis ſragmentis Esdræ et Danielis Chaldaicis, et Novum Teſtamentum exceptô fortè Mathæi Evangeliô Syrice editò, Græca lingua conscripta sunt; igitur opor-

teret Jnterpretem Sacræ Scripturæ notitiam non mediocrem originariæ linguæ nec non ejus propaginum, veluti Arabicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, sicut et Græcæ linguæ dialectorum, ut pote Atticæ, Jonicæ, Æolicæ et Doricæ, item hiſtoriæ naturalis, antiquitatis, et morum Orientis habere. Sed quia hic labor paucorum eſt, et inextricabilibus difficultatibus obnoxius, quia Codex hebræus nonnisi ut Copiaa seu Synopsis ex annalibus confectis poſt Captivitatem Babylonicam considerandus eſt, in quo usque ad Talmud nulla erat separatio verborum, versuum et capitum, et Charactere non quadrato, sed Ægyptiaco exaratus fuit. quibus poſtea accesserunt punctationes, seu accentus multis ignoti. Hinc patet, quantas differentias originarius textus linguæ hebrææ, nec non Græcus obtinere potuit!

6to.

Ulterior sors Textus Hebræi Originarii.

Poſt expositionem V. T. in linguam Græcam per 70. interpretes, Textus Hebræus ferme negligebatur, quia versio LXX. in Ægypto et Palæſtina publicam adepta eſt authoritatem. Dum verò successu temporis tam inter ipsos Judæos, quam contra Chriſtianos controversiæ Polemicæ invaluerant quibus discordantia manuscriptorum, ex qui-

bus Versio illa exarata fuit, ansam præbuerant, hinc ter originarius V. Teftamenti textus circa annum Chrifti 220. revisus et correctus fuit à Judæis. Jn prima revisione non nisi transpositiones et errores Amanuensium corrigebantur. Jn secunda conjunctiones quædam minus necessariæ delebantur. Jn tertia puncta ad denotanda verba ambigua apponebantur. Hæc Judæorum critica correctio textûs originarii circa annum Chrifti 400. claruit, quia Tiberiensem Academiam erexerant, in qua optima M. S. producebantur, quæ S. Hieronymus ab illis mutuatus eft, ad corrigendam Latinam versionem. Seculo VI. determinata fuit Lectio hebræa juxta consonantes per Masoram à prædictis Judæis, quo factum eft, ut manuscripta aliam formam induerent. Sœculo VIII. textus Occidentalis cum Orientali conferebatur, et differentia nec notabilis fuit, nec numerosa. Sæculo X. Punctationes seu accentus determianabantur, et verba separabantur ab invicem, quo recentiora manuscripta commodiora evaserunt, et antiqua negligebantur. Sed et recentiora M. S. eandem nacta sunt sortem ac antiqua, quia Judæi Sœculo XII. et XIII. non sine erroribus mox grammaticaliter, mox juxta Paraphrases Chaldaicas, mox juxta proprium sensum nobis ea transmiserunt ita, ut juxta antiqua

M. S. Textum explicare tentaverint, non tamen omnino feliciter. Hoc in ſtatu ante inventam Typographiam textus Hebræus erat, qui cum nondum fuerit. nec sit emendatissimus, hinc varia adminicula et fontes ad inveniendum sensum Sacræ Scripturæ originarium et genuinum, suppeditandi sunt.

7mo.

Fontes seu adminicula varia adinveniendi genuini incorrupti textûs Hebræi.

1. Pentateuchus Samaritanus, cujus Copiam Petrus de Valla ex Oriente in Europam præteritô Sœculô transportavit. 2. *Philo Judæus* citat V. T. juxta versionem Alexandrinam. 3. Josephus Judæus partim ex origine, partim ex versione Alexandrina. 4. Talmud, qui continet duas partes, unam à Juda II. Sœculo elaboratam, quæ Mischna dicitur, alteram Gemaram seu Commentarium in 1mam partem. Sed hic Commentarius iterum bifariam dividitur in Babylonicum V. vel VI. Sœculo à Rabbinis Ascher et Avina confectum, quo passim hodierni Judæi utuntur, unde Rabbanitæ dicuntur. Et Jerosolymitanum III. Sœculo compositum, à Johanne, qui nimis obscurus eſt. 5. *Masora* seu critica Doctrina vel Traditio Sapientum prædictæ Academiæ Tiberiensis, qui animad-

versiones suas primò in textum speciatim, deinde textui ad marginem adscribebant, et Textuales, majores et minores vel finales Massoræ vocabantur. Præterea Massorethæ successu temporis versus libri numerabant, vg Exodo 1209. contineri, et sic de reliquis, vocem illam aut litteram toties in libro contineri, et cætera superstitiosa notabant, unde Cabbalistæ dicti sunt.

8vo.

Citationes SS. Patrum-

Latini Patres passim vulgatam, Græci écontra ob defectum linguæ hebrææ 70. versionem citârunt. Syriæ Patres Versionem Syriacam, Origenes tamen, Hieronymus et Ephrem non raró textum originarium citant. Quia tamen citationes iftæ non raro Paraphrasticè et ex memoria aut Allegoricè depromebantur, et a Librariis corruptæ esse possunt, hinc citata eorum in tantum valent, in quantum cum textu concordant primigenio.

9no.

Jmmediatæ quædam Versiones et earum usus.

Celeberrima et prima Versio eft 70. Jnterpretum Alexandrinorum, qui primò Pen-

tateuchum, dein cæteros libros explanârunt, passim ad litteram. Alii aliis peritiores erant, sicut ſtylus ipse innuit. Ejus authoritas passim à Judæis et à Chriſtianis agnita, Chriſtus et Apoſtoli juxta iſtam Versionem prædicarunt. Quia tamen et iſta versio ab Amanuensibus et imperitis criticis depravata fuit, ut Origenes conquereretur; nullum exemplar cum genuino textu concordare, cum sic adulterata erat versio, transposita et detruncata, idcirco novam versionem adornabat. Origines spatiô 28. annorum ad tollendam iſtam variationem, sub nomine Tetrapla, Hexapla, Octapla, Enneapla.

Secunda versio. Origenis. Primô locô posuit textum hebræum literis Hebræis. 2do eundem textum literis græcis. 3tio seu in tertia columna versionem Aquilæ. 4to Symachi utpote conformiores textui Hebræo. 5to Versionem LXX. 6ta in columna Theodotionis, qui plurimum ex LXX. hausit. Cæteris in Columnis Versiones ignotorum authorum speciatim continebantur, quæ ultimæ proinde Tetrapla, à multis cum Hexapla Octapla et Enneapla a scriptoribus dicuntur. Scopus hujus Versionis erat: Versionem LXX. originariæ fidei reddere, quare textui LXX. multa ex hebræo textu addidit, quæ illi deerant, si vero erant in LXX. ea, quæ deerant in hebræo, tunc apposuit obe-

lum. Præterea in hac Versione Origenis seu Polyglotta alia critica signa hucusque ignota reperiuntur. Continet etiam historiam cujusvis Versionis: Præfationes, criticas et Exegeticas Animadversiones, ita ut in immensum Volumen excreverit. Jnterea laboriosum hoc opus deperditum fuisset, si Eusebius illud ex angulo Tyri non sustulisset, et in sua bibliotheca Cesareæ non reposuisset, ubi illud S. Hieronymus adhuc invenit, et ex illo sua exemplaria correxit. Abhinc nulla jam mentio fit de ista Versione, quæ verosimiliter in expugnatione Cesareæ per Arabes 633. una cum bibliotheca combusta est. *Aquila* primus videtur vertisse hebræum textum post LXX. in Græcum initiô Sœculi II. et scrupulosè ad literam interpretatus est. Non diu post illum Theodotion qui LXX. feré descripsit. Symmachus potius sensum, quam verba, culto sermone posuit. Sed harum versionum, sicut Origenis nonnisi fragmenta supersunt.

3tia *Versio Chaldaica* seu Targumin, à duobus Judæis facta est, quorum unus Onkelos Babylone Pentateuchum, alter Jonathas in Palæstina Prophetas vertit; ambo post S. Hieronymum vixisse et scripsisse perhibentur. Onkelos de verbo ad verbum ex Originali vertit, Jonathas écontra para-

phrasticé et fabulosè scripsit et Massoram secutus est.

4ta Syriaca, Peschito dicta circa Sæculum VI. comparuit, et a S Ephrem citatur. Videtur esse opus plurium propter diversitatem styli. Reperitur in Polyglota Parisiensi et Londinensi, et propter affinitatem cum lingua hebræa, magni pro criticis potest esse adminiculi.

5tum locum obtinent Versiones Arabicæ, quarum prima est Saadiæ Gaonis Judæi circa X. Sæculum, sed multæ reperiuntur Paraphrases (Circumlocutiones) in illa. Altera ab Abu Said confecta 1070, Pentateuchum tantum ex Codice Samaritano translatum continet.

Tandem S. Hieronymus Versionem Latinam edidit, quæ probé à vulgata et altera Latina juxta Hexaplam correcta discernenda est. Orsus est Versionem Samuelis et Regum ad enixas preces amicorum, deinde aliorum librorum exceptis Baruch, Sapientia Sirach et Machabæis vertit ex hæbræo adhibitis etiam aliis interpretibus antiquioribus et sapientibus Judæorum, potius sensum quam verba secutus. Sed hæc Versio ab Africæ Ecclesiis non acceptabatur vivente Hieronymo. Remittente primo æstu legebatur quidem versio Hieronymi, et paulatim adoptabatur; dum vero Versio trans-

criberetur ab Amanuensibus et multa adderentur, tam versio vulgata quam LXX nec non Liturgicæ animadversiones adhiberentur et scholia, hinc versio Hieronymi genuina hodiedum non potest dignosci. Tantum de Versionibus ex Hebræo immediatis.

10mo.

Aliæ mediatæ Versiones.

Author Versionis Vulgatæ seu Veteris Latinæ ignoratur quidem, attamen ex stylo videtur esse Africanus, et Sæculo II. vixisse, quia Tertullianus eam citat. Non ex hebræo textu, sed ex LXX. versa est, et quidem scrupulosé ad verba, adeoque cum nævis qui in LXX. Jnterpretes irrepserant. S. Hieronymus quidem eam juxta textum Hexaplæ erroribus purgare adhibito originali nitebatur, sed nonnisi Job et Psalmi ab illo correcti sunt, qui in vulgatam non sunt recepti, unde 6000 vitia in Vulgata numerantur, non tamen quoad fidem et mores.

Post Vulgatam veniunt Syriacæ Versiones, quarum prima 617. à Paulo Episcopo Telensi ad usum Monophysitarum confecta est ex textu Hexaplæ adiectis signis criticis et scholiis ad marginem de verbo ad verbum. Secunda Syriaca Versio *Figurata*

Sœculo VIII. a Jacobo Edessæ revisa ex LXX. sumpta eſt. Cœteræ Syriacæ Versiones puta Patriarchæ Mar Abbæ, Thomæ Heracleensis Abbatis, et Simonis utpoté non jam exiſtentes, parum juvaminis sunt pro Critico.

Sunt etiam Arabicæ Versiones Jobi et Paralipomenon ex Peshito translatæ in Parisiensi et Londinensi Polyglotta. Similiter Versio Psalmorum et Pentateuchi ex LXX. una cum Hagiographis et hiſtoricis libris Josue, Paralippomenon et Jobi, quæ tantùm ad corrigendos LXX. et Syriacam inserviret, non verò ad primigenium textum, Sœculo V. Armenica Versio ex LXX. apparuit, cujus Author dicitur Miesrobs, adinventor characteris Armenici. Si hæc Versio juxta vulgatam non esset correcta, uberioris esset utilitatis ad inveniendum textum originarium. Eſt etiam Versio Æthiopica ex LXX. cujus nonnisi fragmenta extant. Jdem de Ægyptiaca dicendum et Georgica, quæ tamen 1743. Moscovæ ex LXX juxta Sclavonicum et Armenicum textum versæ et correctæ, et Typis impressæ sunt. Jn his anguſtiis sequentes proponendi sunt Canones:

1. Versiones immediatæ præſtantiores sunt mediatis.

2. Hermeneuta utatur Versionibus non ut arbitris, sed consiliariis.

3. Versiones quo antiquiores, eo in locis ambiguis utiliores.

4. In obscuris locis non est fas à grammaticali seu literali sensu recedere.

5. Fontibus seu textui originario semper plus deferendum, quam Versionibus.

6. In controversiis super vera Lectione litem dirimant, 1. plurima Versionum Suffragia. 2. orationis nexus. 3. sensus concinnitas, 4. Scripturæ analogia.

IImo.

De Variis Editionibus Bibliorum.

Adinventâ Typographiâ Biblia impressa sunt. Quia vero ea non uno ex fonte derivarunt, igitur non eandem possunt habere Authoritatem. Primo Psalterium cum commentario Kimchi 1477. Bononiæ, dein tota Biblia 1494. Veteris Testamenti Bresciæ typis hebraicis impressa comparuere, quibus Lutherus ad corrigendam versionem germanicam usus est, cujus exemplar asservatur in Bibliothecà Berolinensi. Sed hæc erant prima tentamina adinveniendi genuini textus, Sæculo XVI. Reges et principes, imo totæ nationes ex stupore quasi expergefactæ post reformationem, linguas Orientales addiscere incæperunt, et unam post alteram editionem juxta textum originarium adornare sategêre. Primam Bibliorum editionem seu Polyglottam

Sœculo XVI. Cardinalis *Ximenes* procuravit, in qua textus hebræus LXX. Targumin, Onhelos, latina, et Vulgata positæ sunt. Hæc editio vocatur *Complutensis*. Pauló poſt 1517. Felix de Prato edidit Polyglottam Rabbinicam, quæ cum non fuit acceptata, conductus eſt maximis impensis Judæus Jacobus Ben Chajim, qui inexhauſtô, labore opus consummavit. Massoram adornavit, et juxta illam Textum hebræum correxit, his adjunxit Chaldaicum Targumin, et Judaicos Commentatores ad marginem posuit, majorem et parvam Massoram, et quæ de illa Massora ad marginem locum non habebant, hæc secundum ordinem Alphabeticum ad finem una cum Variationibus Orientalium et Occidentalium adscribebantur. Hæc editio vocatur *Biblia Rabbinica II. Bambergiana*, quæ aliquoties correcta fuit. Juxta correctum Textum hujus editionis, omnes feré Polyglottæ typis imprimebantur, sicut Antverpiensis, ab Aria Montano, Parisiensis, Londinensis. Quia tamen Editores horum Operum prædictam Rabbinicam Editionem cum M. S. contulerunt, hinc in quibusdam differunt. Londinensis tamen Polyglotta magis mendorum et vitiorum expers eſt, quam Parisiensis. Præterea hebraica Biblia ediderunt Buxtorfius cum sociis Mardochai et Juda Wall conformiter ad Massoram, ac

per

per consequens varia a cœteris editionibus. A. 1618. Jabłoński Berolini hebræum textum edidit, qui pro optimo habetur. A. 1699. Hinc patet, quod ob graves rationes a vulgato textu recedere liceat.

12mo.

De Criticis Sacræ Scripturæ.

Quoniam Librarii seu Amanuenses Bibliorum non erant inspirati a DEO, hinc creditum fuit, Sacrum Codicem ita subiici posse Regulis Criticis, sicut alia profana scripta. Sed notandum eſt, quod licet Critici et Interpretes S. Scripturæ Versionem unam præ alia adoptent, non ideò cœteras respuant. Alii textum Massoreticum quidem impugnant, alii écontra ut integrum, purum et divinum propugnant. Alii alios quidem corrigunt, ex aliis fontibus hauriunt, sed utrum fontes sint integri, M. S. accurata, non demonſtrant. Licet enim pura et integra Exemplaria in bibliotheca templi recondita erant, quando Author II. libri Machabæorum scripsit, poſtea tamen a Tito et Vespasiano, illa Romam in Triumpho adsportata fuerunt, ut refert *Josephus in sua Archœologia* 5. 50. Sufficit ergo vulgatam noſtram juxta Tridentinum Concilium, ut authenticam *in disputationibus et*

prædicationibus et genuinam in rebus fidei et morum suscipere, licet mend s in aliis referta est. Ut tamen de aliis Bibliis judicium feratur, sequentes Regulæ Critices servandæ sunt, præter eas quæ de Versionibus præscribebantur.

1. Si differunt antiquæ Versiones, integritas textûs inspicienda est, quia Samaritanus Codex et Versio LXX. mutata sunt a Librariis, ut patet ex dictis.

2. Citationes PP. et deviatio Josephi a LXX. non semper sunt argumentum genuini textûs hebræi. Quia Patres excepto Or gene et Hieronymo non Autograph, sed Versiones citârunt, et Josephus non semper textum hebræum inspiciebat.

3: Textus Massoræ non est depravatus, M. S. tamen plus ponderis habere debent, si conformia sunt, quia Massora mutata fuit ex dictis.

4. M. S. vetus plus valet quam novum quia antiqua non ita ab Amanuensibus et Massoretis mutata sunt.

5. Plus valent antiquæ Editiones, quam M. S. quia Editiones desumptæ sunt ex M. S: adeoque minori mutationi obnoxiæ.

PARS II. DE LIBRIS SACRÆ SCRIPTURÆ IN SPECIE.

1mo.

De Pentateucho.

Jn primo Libro Moysis creatio Cœli et terræ, Diluvium, et Vocatio Abrahæ continetur. Si immediata Revelatio horum factorum non admittitur, necessariò Traditio aut fontes scripti, ex quibus hausit, admittenda sunt. Nam in primis 2bus Capitibus Deus vocatur *Elohim*, aliæque voces reperiuntur, quæ in aliis capitibus non occurrunt. Nam in tertio et reliquis capitibus Deus semper *Jehova* vocatur, aliusque ſtylus comparet, quod argumentum eſt, Moysen ex superſtite libro aut M. S. hausisse. Cur enim una eademque res vg diluvium, Jncendium Sodomæ, vocatio Abrahæ, bis et quidem variô ſtylo refertur, si non duo Authores et duo documenta unius ejusdemque libri admittantur? Secundus, tertius et quartus liber bene quidem tempori et circumſtantiis Moysis accommodatur, interim multa loca occurrunt Exodi capite 15. 25. 31. quæ poſtea ab alio addita sunt. Quintus liber conformis ætati Moysis eſt, exceptis 24 et sequentibus, quæ nequaquam fœtus Moysis, sed Josue

esse possunt, quia mors ejus et sepultura luctusque Populi describitur.

Certum igitur eſt, quod Moyses 2di, 3tii 4ti et 5ti libri sit Author ad 24. Caput, quia ſtylus et circumſtantiæ hoc probant, sæpé ut Author citatur in his libris, et ut talis nominatur in pluribus S. Scripturæ Libris Veteris et Novi Teſtamenti, Philo denique Joseph, Talmud et tota Antiquitas et Traditio illi hos libros attribuit. Aliud autem eſt de Genesi, quæ propter adductas rationes solum Moysen ex integro Autorem habere non poteſt, sed tantum ut Compilatorem aut Approbatorem, et hoc sensu tota antiquitas hos libros Moysi attribuit. Jnterim hoc authoritati Pentateuchi non derogat, sicut Epiſtolæ Pauli et Oracula Jeremiæ non ideo amittunt Authoritatem, quod ad calamum dictata sint. Jmpossibile eſt eos libros esse supposititios, quia descriptio Ægypti, Arabiæ, et aliarum circumſtantiarum, nonnisi a Moyse concinnata esse poteſt. Quod autem dictum eſt, supra 2. Moysis 12 3. et 5. Moysis 33. 1. addita, hæc potius antiquitatem et Authenticitatem libri probant, quam imminuunt.

2do.

Liber Josue, Judicum, Ruth.

Liber integer sub Nomine Josue de divisione Palæſtinæ non poteſt habere Josue Authorem, quia facta continet et geographica nomina a nono Capite et seq: quæ nonnisi poſt ejus mortem contigerant, et invalucrant. Verosimilius videtur, Authorem hujus libri nonnisi poſt divisionem Tribuum vixisse. Sed hoc non præiudicat ejus Authoritati, quia facta etiam exigua et possessio terræ S. moribus populi et situi terræ accommodatissima describuntur.

Liber Judicum non accuratam hiſtoriam ſtatûs judaici, sed potius Jdololatriam Judæorum et oppressionem a confinibus populis describit. Author 16. capitum priorum ignotus eſt sicut et reliquorum. Primus tamen ad finem Judicum vixisse putatur, Secundus poſt divisionem tribuum, de quibus narrat, quod in captivitatem Assyriorum venerint, scripsisse debuit (d). Authoritatem ejus probant ſtylus, mores, et facta.

Author Libri Ruth progeniem Davidis describit, et nonnisi tempore David vixisse debuit, quod innuit chaldaica terminatio qua-

---

(d) *Jud.* 18. 31.

rumdam vocum, mutatio morum hujus temporis, et collatio cum libro Samuelis et Regum. Simplicitas Authoris, et descriptio morum sunt authenticitatis argumentum.

3tio.

Libri Samuelis, Regum, et Paralippomenon.

Libri hi tres hiftoriam Judæorum nobis synopticé narrant, a Nativitate Samuelis ad Cyrum Persarum regem. Omnes hi tres libri non ut continuatio operis alicuius, sed sicut unus idemque liber spectari debent, quorum Authores ex uno fonte suas animadversiones juxta propositum scopum adjecerant v. g. 1. Samuel 31. concordat cum 1. Paral: 10. Ac imprimis libri sub Nomine Samuelis seu 1mus et 2dus regum incipiunt a Nativitate Samuelis, et finiunt narrationem de pefte sub Davide utpotè pœna numerati Populi. Hinc hiftoriam Heli, Samuelis, Saulis et Davidis continent. Sed Author horum librorum neutiquam illis coævus esse poteft, quia mentio fit de divisione tribuum sub Roboam et Jeroboam, ac per consequens nec Samuèl, nec Gad, nec Nathan Authores esse possunt horum librorum, et Textus Paralipp. 1. Lib. 29. 30. *gefta David, prima et noviſsima scripta sunt in Libro Samuelis Prophetæ, et in libro Nathan et Gad*

videntis, nequaquam intelligi potest de hoc libro, sed de alio deperdito.

Libri postremi duo regum incipiunt a regno Salomonis, et desinunt in primo regno Evilmerodach Babyloniorun regis. Author istorum librorum accuratius describit Regnum Israel, quam Juda, licet sit ignotus.

Libri duo Paralippomenon continent 3. partes: Genealogiam, gesta David et Salomonis, et historiam Regni Juda: Desinunt in Cyro qui Judæis concessit facultatem redeundi in terram suam, et reædificandi templi. Hinc patet, quod duo libri nonnisi post captivitatem Babylonicam compositi sint, quod etiam de duobus postremis Libris. Regum sentiendum est, quia in illis chaldaismi reperiuntur. Athenticitas horum librorum patet inde, quod non celent ætatis suæ vitia, et gentis suæ infortunia, et pro argumento citant sermones Prophetarnm 2. Paralip: 32. Verosimiliter Esdras hos libros scripsit. fit enim mentio monetæ aureæ Persieæ, quæ sub Dario Histaspe est cusa, 1. Paral. 27. 7.

4to.

Libri Esdrœ, Nehemiœ, et Esther.

Liber sub Nomine Esdræ tractat de reditu Judæorum in Patriam, reædificatione templi, obstaculis ex parte Samaritanorum

ad ædificium, et de Religiosis et Politicis institutis ab Esdra factis. Non continet purum textum Hebræum. Certum est, quod Esdras sit Author 4. ultimorum capitum, quia ibi loquitur in prima persona et puro Hebraismo. Jnitium vero huius libri alium habet Authorem, qui communicativè loquitur, et corruptâ linguâ hebræâ. Et revera Esdras dux fuit 2dæ columnæ Judæorum, quæ ultimô Artaxerxes Longimanni annô in Palæstinam reversa est, adeoque Jnitium Libri iam paratum invenit.

Liber Nehemiæ continet facta a 20. anno Regni Artaxerxis, quo missus erat ad consummandam templi restaurationem, et dirimendas lites. Liber iste genuinum opus est Nehemiæ, quod et titulus demonstrat, et modus locutionis in prima persona. Authoritatem et veritatem ejus probant gesta ab illo conscripta, et a populo lecta et approbata, et neutiquam celat vitia populi. Antea Esdras et Nehemias unum constituebant Librum.

Liber Esther describit elevationem Esther ad Solium Regium, et promotionem Mardochæi ad primam post Regem dignitatem, et pœnam Ammani hostis Judæorum. Videtur hic Liber compositus ad celebrandam Festivitatem *Purim*, et forte ipse Mardochæus libri hujus Author est, quia 9. 20.

scribit ad Judæos in Persia, ut feftum hoc quotannis celebrent. Sed in Libro Efther describitur Assverus rex tanquam stupidus, potator, et crudelis, proponens repudiare uxorem, et trucidari jubens nationem Judæorum sine culpa 3. 10 et mox revocat suum Edictum, et permittit Judæis hoftes interimere, de quo tamen profani hiftorici tacent quoad nomen, licet multi Persarum reges descripto Assvero similes describuntur. Ad hanc difficultatem respondendum: quod Xerxes cum Assvero indentificetur, quia ille jussit convocari Magnates Regni, ut secum contra Græciam deliberarent, tertio anno Regni sui et potationi se dedit, ut ait *Herodatus*. Xerxes repudiavit uxorem Vafthi et Leonidam cruci affigi jussit, Herodot. 7. et sic Profani cum Sacra hiftoria conciliantur.

5to.

De Prophetis in genere.

Propheta idem eft ac Videns seu Vates, sed propheta non semper futura prædicit, quia 2. Moysis 15. 20. dicitur Maria soror Aaronis Prophetissa, licet nil futuri prædixerit. Jgitur donis extraordinariis donati a DEO, sæpe vocantur Prophetæ in scriptura. Mittebantur ut vindices sceleris et resu-

scitatores lapsæ Religionis. Aliquando Prophetæ prædicabant imparati, seu ut ajunt ex abrupto, dum nempe interrogarentur, aliquando parati ut Jeremiæ 13. 1. usque 21. versum Aliquando generaliter seu indeterminatè, aliquando determinato tempore et loco vaticinabantur. Jmo videtur, quasdam Prophetias nunquam coram populo declamatas fuisse. Jer. 11. 19. *sicut agnus ad occisionem ductus sum* et 12. 6. Adeoque possibile eſt, Prophetias tali ordine, sicut hodie sunt non extitisse. Sed de his infra singillatim.

6to.

De Jsaia ejusque Oraculis.

Juxta Traditionem Rabbinorum Jsaias ex Regia ſtirpe natus sub Manasse serrâ dissectus eſt. Sed improbabile eſt, Jsaiam usque ad Manassem vitam prolongasse. Hoc verò certum, quod sub Osia, Joathan et Achaz ut Propheta floruerit. Pars 1ma Oraculorum ejus, spectat Judæos, Jsraelitas, Assyrios, Ægyptios, Babylonjos et alias confines gentes, quibus plagas varias, ac tandem interitum prophetat. 2da pars de veritate Religionis Judaicæ, de reditu Judæorum ex Babylonica captivitate, Jdololatria extirpanda, et propagando vero Dei

cultu inter gentes tractat. Tandem concludit, Deum non ritibus, sed emundatione spiritus et cordis colendum esse 66.

Passim totus liber Jsaiæ tribuitur. Jnterim Prophetia contra Moabitas, quorum Regio post 3. annos vastanda prædicitur, interjecta esse debet a Collectoribus Prophetarum, quia nonnisi tempore Nabuchodonosoris ante interitum statûs Judæorum, adimpleta est. Et quomodo Jeremisas eandem Prophetiam 48. exhibere potuit, qui 200. annos post Jsaiam vixit? Præterea comparatio 3. annorum cum annis mercenarii, et alia cap: 40. 42. 45. ubi infinita aggregantur, et voces quædam repetuntur, alium præter Jsaisam habere videntur Authorem. Quod vero interjectionem quorumdam Prophetarum aliorum in Jsaiam probat, est, quod post 35. caput Jsaiæ multa ex libris Regum et annalibus Regni in Jsaiam inserta sunt. His admissis facilè enodantur difficultates, quas nobis adversarii obiiciunt. Quomodo Isaias potuit prædicere excidium Moab, quod post Jeremiam contigit? quomodo tot capita Jsaiæ genuina esse possunt, quæ continent res et facta, quæ ætati ejus non conveniunt? Nam alios præter Jsaiam admittimus Authores, quos licet nominare non possumus, non inde tamen sequitur, hos libros a quodam seductore

esse depravatos, quia tali modo liber Regum et Paralippomenon supposititii essent, quia eorum Author ignoratur. Authencitatem libri Jsaiæ non tantum probat Canon, sed et novum Teſtamentum, ubi non raro citatur. Jmo nullus Prophetarum tanti a Iudæis et Xſtianis æſtimatur, sicut Jsaias, quem Auguſtinus et Hieronymus potius Evangeliſtam, quam Prophetam nominare volunt. Adimpletio Oraculorum, quam profana etiam hiſtoria probat, evidens divinitatis libri argumentum eſt. Notandum tamen, a Collectoribus cap. 17. falsò titulum inscriptum esse *Prophetia contra Damascum*, item cap. 21 et 22. quia ibi nihil de Damasco, sed de Judæa tractatur. Prætera liber sub titulo *Ascensio Jsaiæ*, et alter *Visiò Jsaiæ* supposititii sunt.

7mo.

De Jeremia, ejus Oraculis, et Lamentationibus.

Jeremias ex tribu Beniamin: filius Sacerdotis Helciæ adhuc Juvenis ad munus Prophetiæ vocatus, vixit sub Regibus Josia, Selhum, Joakin, Jechonia, et Sedecia, qui devenit in Captivitatem Babylonicam- Expugnata civitate obtinuit facultatem a victore eundi quò vellet, sed Jeremias remansit in Palæſtina, apud cives, qui illi pro

bono consilio non raro mala reddidêre, ut illis esset Consiliarius. Dum verò Jsraelitæ in Ægyptum fugerent, Propheta immemor injuriæ secutus eſt illos, ibique mortuus eſt. Oracula ejus partim ad Judæos, partim alios populos, Ægyptios, Philiſtinos, Moabitas, Babylonios diriguntur, quibus varias pœnas pro scelere minatur. Jnitium vaticinii ejus cadit in quartum annum Regis Joakim. Quia verò sub aliis regibus quoque prophetabat, puta sub Josia, et Selhum, hinc quædam Prophetæ chronologicé, quædam verô sine determinatione temporis conscriptæ sunt. Stylus ejus elegicus eſt, quia teſtis erat malorum, quæ fiebant in Patria, scatet tamen chaldaismis propter commercium, quod tunc Judæi cum Chaldæis jam habebant. Jeremias oracula sua ad calamum dictabat secretario scribæ Barucho, at licet exemplar hoc a Rege combuſtum fuit, propheta tamen ab eodem Barucho aliud conscribi jussit. Jnterim inter hebræum et græcum textum LXX. Jnterpretum tanta eſt differentia, ut non capita tantum translata, sed multa vel addita, vel dempta sint, ut teſtatur *Josephus, Origenes, Hieronymus Præfatione in Jeremiam.* Jn græco textu loquitur Jeremias de Excidio Jerosolymæ futuro, cum in hæbraico jam factum sit, in græco tacetur, in hebræo

verò enarratur ca tivitas Regis Sedeciæ. Jn hebræo amplificata est Prophetia, quæ concisa in græco textu est. Sed sciendum, quod Jeremias bis edidit Prophetiam. Post primam editionem nondum scivit de excidio Jerusalem, et captivitate Sedeciæ, et juxta primam editionem græcus textus versus est. Jn secunda vero Editione data ista Propheta apposuit. Prima Editio igitur in Ægyptum devenit, ex qua LXX. verterunt. Secunda vero Babylonem usque pervenit, unde eam redeuntes Judæi in Palæstinam asportârunt Quod Jeremias sit Author horum oraculorum, stylus et antiquitas probat. Ultimum tamen Caput a Collectore Canonis, vel Authore Libri Regum additum videtur, quia cum 2. Regum 24. 18. ejusdem est argumenti. Quoniam autem Jeremias multa passus est a civibus, et præsens erat, cum Civitas S. et templum in cinerem redigebatur a Chaldæis, et diversæ ætatis et status homines in ipso sacrario gladiô feriebantur, hinc dolore tactus, confecit Lamentationes, deflens Captivitatem Civium, et ruinam templi et urbis. Jam antea luctus iste dividebatur in 22. capita, juxta literas Alphabeti Judaici, ac sic in lamentis 4. aut 5. Alphabeta continentur. Quod autem Propheta reticeat scelera Regis *Sedeciæ*, quibus ruinam statûs accelerayerat,

in hoc culpandus non eſt, imô laudandus, quod ut subditus, Regis infauſti vitia cooperire, quam sine fructu propalare maluerit.

8uo.

De Ezechiele et ejus Vaticinio.

Ezechiel erat filius *Busi* Ordinis Sacerdotalis, coævus Jeremiæ, incepit vaticinari quintô Annô Regis *Jechoniæ*, quomodo, aut ubi mortuus eſt, æque incertum eſt, ac illud, quod Pythagoram, ut vult *Clemens Alexandrinus* Lege Moysis imbuerit. Cum multi in captivitatem abducti essent in Chaldæam, et reliqui Judæi in Palæſtina, æque ac exules in Chaldæa tumultus meditarentur, eo magis quod aliqui Nomine Jechova insurrectionem prædicarent, hinc *Jeremias* Judæis in Palæſtina, et *Ezechiel* exulibus ad fluvium Chebar prædicârunt pacem et obedientiam erga victores, si nollent majora mala incurrere. Jnterea consolatur Judæos futurô reditu in Patriam, reædificatione templi, et urbis, nova partitione terræ 40 cap. Jn hoc libro multa capita transposita sunt, et sic 32 caput cadit in annum duodecimum captivitatis, quod vel ab ipso Propheta Oracula sua fortè ad marginem notante; vel a Collectore Canonis factum eſt. Authenticitatem libri data,

facta, tempus et non interrupta Traditio probant.

9no.

Oseas, Joel, Amos.

Oseas fuit filius *Beri*, et vixit sub Regibus Joathan, Achaz et Ezechia, quando ftatus Jdololatriâ luxuriâ et inteftinis odiis fere enervatus fuerat. Et quia propter Assyrios confines, talis morum depravatio pro Judæis erat periculis plena, idcirco *Oseas* clamavit contra scelera, et sub imagine Mulieris fornicariæ reprobationem Jsraelis describit, vituperat fœdera, quæ competitores Regni cum Ægyptiis inierant, ut alter alterum de throno deturbaret, prænuntiat interitum ftatûs et captivitatem (e) reditum in terram Patrum suorum 11. 13. Stylus ejus sublimis et concisus, adeoque non raro obscurus eft. Authenticitatem ejus probat non solùm Traditio, sed et ipse liber, in quo Oseas ipse mox in tertia, mox in 1ma persona nominatur.

De *Joele* itidem ac de Osea, ignoramus ex qua tribu natus sit, ubi et quando mortuus sit; hoc tantum scimus, quod fuerit filius Phatuel, et prædicare inceperit, quando locuftæ Regionem devaftârant in Judæa 1. 9. et 2. 1. Liber ifte genuinus fœtus eft Joelis, qui ibi nominatur, et traditio illi non inter-

(e) *Osæ* 4. 15.

interrupta, opus hoc adjudicavit. Non nominatur equidem speciatim in Canone, quia liber XII. Prophetarum minorum antea unum tantum Librum conſtituebat, interim non adimpleretur numerus XII. si Joel illis non adnumeraretur.

Amos fuit Paſtor ex Thecue Pago non longe à Jerosolyma, et cæpit prædicare 21. anno Regis Jsraelitarum Jeroboam II. quando luxus et prosperitas dominabatur. Cum Prophetiæ ejus innotescerent ut periculosæ ſtatui, in Patriam relegabatur, ubi Oracula sua repetebat (f). Stylus ejus nec sublimis nec elegans eſt, utpote deſtitutus eruditione. Jnterim hoc Authoritati ejus derogare non poteſt, quod fuerat Paſtor, quia 2. Regum 3. 4. Misa rex Moabitarum Paſtoris officium exercuit. Dum præterea ipse Amos ut Author libri nominetur, et traditio illi librum hunc attribuat, idcirco de ejus genuitate dubitari nequit.

10mo.

Abdias, Jonas, Michæas.

Abdias medio tempore inter desolationem Jerusalem, et debellationem Edomitarum a Nabuchodonosore vixit 1. 10. et prophetavit. Primò minatur Edomitis pœnas,

(f) *Amos* 7. 13.

quod super infortunio Judæorum lætati sint. Dein more aliorum Prophetarum, in futurum Judæos consolatur. Diſtinguitur hic Propheta a cœteris Jnterrogationibus et Exelamationibus frequentibus. Et Jnscriptio, ipsa docet eum esse Libri hujus Authorem, quod et antiquitas docet, licet in Canone non nominetur, expresse.

Jonas vero similiter eſt idem, qui 2. Reg. 14. 24. describitur ex tribu Zabulon, coævus Jeroboam II, qui ad prædicandam Ninivitis Pœnitentiam a Deo missus eſt. Quia vero voci Domini obedire noluit; Tarsum Hispaniæ civitatem fugit, sed propter exortam procellam à nautis in mare projectus à marino pisce non cete, sed squalo glauco deglutitus, et poſt 3 dies ad littora redditus fuit. Poſt hanc caſtigationem venit in civitatem Ninive, et prædicavit pœnitentiam, qua peractâ, civitas non fuit deleta, sicut prædixerat Propheta. Sed hoc displicuit Prophetæ, ut mori optaret, quare aliter à Deo edoctus fuit (g). Quærunt hic Scripturæ S. Jnterpretes, an hæc Prophetia tota, vera sit hiſtoria, et ejus Author sit Jonas? et passim omnes negant utrumque, librumque nonnisi ut Moralem Apologum considerant, quem Anonymus quidam Author Jonæ attribuit. Nam frequentes erant Apologi apud Hebræos

(g) *Jonas* 4.

ut apud Jobum 2. Author ipse hujus libri non historiam, sed Apologum describere videtur, monstrando Gentiles paratiores esse ad servandam legem, quam Judæos. 3. Miracula, rapida populi Regisque mutatio, murmur Prophetæ optimè congruunt Apologo, dum econtra voces quædam et ipsa descriptio minime consona sint ætati Jeroboam II. Jdem quoque sentiendum de Authore hujus libri, qui Jonas non est. 1mo Nullibi nominatur; 2do Hymni decantati, sunt Rapsodiæ exceptæ ex veteribus Poétis et Psalmis 42. 8. 30 Si ipse Jonas esset Author libri, ipse sermones ad Ninivitas habitos accuratius descripsisset. Hæc hypothesis interim Authoritati ejus non nocet, quia alias liber Job et Parabolæ Xsti respuendæ essent. Econtra Traditio librum hunc inter Sacros recensuit, Jonas inter 12. Prophetas numeratus fuit, et apud Tobiam, Mathæum Lucam citatur (h).

Michæas ex tribu Juda coævus Jsaiæ sub Regibus Joathan, Achaz et Ezechia prophetavit. Arguit Jdololatriam, morum dissolutionem, vexatiomem populi, tam in Regno Juda quam Jsrael, et utriqne prædicit interitum, et captivitatem populi. Promittit postea tamen reditum et prosperitatem non

(*h*) *Tob.* 14. 4. *Mat.* 39. *Lucæ* 11. 29.

interruptam. Stylus ejus æquè ac Jsaiæ Poesim redolet, et sublimis eſt. Hic liber Michææ genuinus eſt, quia sæpé nominatur, et pro Authore habetur Jerem: 26. 18. nec non apud Mathæum 2. 5. et Lucam 12. 53; Joannem et ad Ephes: Tandem Ecclesia utriusque Teſtamenti librum ut canonicum, et Authorem, ut Prophetam agnoscit.

IImo.

Nahum, Habacuc, Sophonias.

Nahum videtur apud Assyrios ex Judæis Parentibus, quos Salmanassar ex Jsrael captivos abduxit procreatus, poſt expugnationem Thebarum per Assyrios, sicque poſt 14. annum Regis Sedeciæ prophetare debuit, quia 3. 8. hæc facta narrantur. Prædicit ultricem juſtitiam Dei, interitum Regni Ninivitici et Assyriorum, qui sub Nabopalassar, et Cyaxare subsecutus eſt. Jnscriptio, Traditio et confirmatio factorum per Scriptores Profanos probant libri hujus Authenticitatem. Præterea utraque Ecclesia Nahumum 12. Prophetis adnumerat (i).

(i) *Kaliński Vaticinia Habacuci et Nahumi, Vratislaviæ* 1748.

Habacuc ante primam irruptionem Chaldæorum in Palæstinam vixisse videtur, quia hos describit. Prophetia ejus continet, 1. Lamentum et preces causa devastationis Palæstinæ, et captivitatis, 2. Responsum Dei, quod petulantem Victorem pœnâ talionis castigabit. Præterea hymnum, quo Deo pro solamine gratias agit. Stylus ejus liber, Poeticus et vividus est. Jnscriptio, Traditio et caput 1. et 2dum probant, quod a nemine alio, quam Habacuco Oracula hæc conscripta sint.

Sophonias deducit ortum suum ab Ezechia cap. 1. 2. qui tamen alius esse potuit præter Regem. Vaticinatus est sub Josia post factam ab eo templi reformationem; Zelatus est contra residuum adhuc cultum Baal. Fuit coætanæus Jeremiæ et Ezechielis. Ejus Oracula tractant: de interitu Regni Judæ, aliarumque nationum, et tandem fausta tempora prædicit. Stylus ejus simplex est et pressus, sicut Jeremiæ et Ezechielis. Et quoniam Stylus et objectum Prophetiæ tempori conformia sunt, hinc juxta Jnscriptionem et Traditionem liber ille pro genuino et authentico habendus est, licet nullibi expressé nominetur Propheta.

12mo.

Aggæus, Zacharias, Malachias.

Videtur *Aggæus* sub Zorobabele ex Chaldæa ad Jordanem venisse ad promovendam restaurationem templi et urbis. Dum enim Judæi ab incepta ædificatione destiterant, Aggæus ipsis aderat adhorator, obstacula removet, animos erigit cap. 2. et Zorobabelem celebrat. Juxta inscriptionem cæpit prophetare 2do anno Regni Darii. Stylus et argumentum narrationis sunt consona tempori, quo vixit, adeoque juxta traditionem liber ille pro Canonico habendus est.

Zacharias filius Barachiæ post Aggæum vaticinatus est, bene distinguendus est ab aliis hujus nominis, nec ille reputandus est, qui occisus inter Templum et altare. Prophetia ejus est adhortatio ad consummationem ædificii templi, continet Visiones, Symbola, de domitione hostium, Judæorum reditu; Describit feliciora tempora juxta Prophetas alios. 9. capita sunt genuina Zachariæ, sicut stylus et repetitio quarumdam vocum et determinatio Annorum, Mensium et dierum innnuit. Cetera capita licet forte non habeant Zachariam Authorem, non inde amittunt authoritatem: Nam sunt fœtus Prophetarum, ut liquet ex forma loquendi. *Hæc dicit Dominus.* Collectores Canonis certe

non inseruissent ea Libro, si de Authoritate ejus non essent persvasi. Nomina enim quorumdam Prophetarum Collectoribus ignota erant, adeoque Zachariæ adscribebant reliqua oracula ideo forte, quia adhuc locus erat.

Malachias ultimus Prophetarum prophetavit, quando Nehemias 2da vice ex Persia in Judæam revertebatur, quia idem vaticinatur, quod Nehemias describit: ambo supponunt ædificatum templum, clamant adversus Matrimonia cum alienigenis, scelera Sacerdotum, et detentionem decimarum. Tandem prædicit propagationem Novæ Religionis et Eclesiæ. Ejus ſtylus non eſt elegans, et difficile hebraice vaticinatur, quia hebræa lingua fere tunc jam mortua erat. Et quia Malachias expressé nominatur, narratio et tempus et ſtylus ipsius ætati conveniunt, hinc pro ejus Authore et liber pro Canonico juxta traditionem habendus eſt eo magis, quod in pluribus N. T. libris citatur (k).

13.

Daniel ejusqué Prophetia.

Anno 4to Regni Joakin *Daniel* cum Anania, Azaria, Misael à Nabuchodonosore,

---

(k) *Mat:* 11. 10.

adhuc juvenis Babylonem abductus fuit, ibique ut bonæ indolis et nobilis instructus est. Baltasar dein nominatus, et 4to Regni Nabuchodonosoris anno, Regni minister factus est, quam dignitatem non obstante invidia Aulicorum usque ad tertium annum Regni Cyri retinuit, quo mortuus est, licet ignoratur quomodo et ubi? Ejus Prophetia partim chaldaicè, partim hebraicè scripta est, adeoque prima 7. capita non a Daniele conscripta sunt, quia nullibi in prima persona loquitur, et nullibi mandatum facta hæc conscribendi invenitur. Imo videntur prima capita posterius exarata fuisse, quia ibi græcæ voces occurrunt, et periculosum erat, ea notare, quæ Reges Medorum et Chaldæorum offendere poterant, adeoque Epitomator Biographiam Danielis præmittere debuit, ut sciatur, quomodo Daniel ad aulam Regis pervenit, et quomodo cum consortibus suis Jehova coluit et gentium superstitiones respuit. Cœtera capita et Visiones et earum explicationes nonnisi Danieli attribui possunt, quia ibi Daniel in prima persona loquitur, *Ego Daniel vidi, ego Daniel scripsi.* Interim prima Capita in Canonem redacta esse debent, quia post clausum Canonem nullus jam sacris libris aliquid addere ausus fuit (*Josephus*) et supplementum de Dracone, idolo Bel, et Susanna juxta

S. *Hieronymum* nunquam partem Canonis conſtituerunt. His non obſtantibus Liber Danielis totus semper inter Canonicos seu sacros reputabatur, licet in Palæſtina non prophetavit. Quia antiquitas et N. Teſtamentum Danielem ut prophetam, et librum ut sacrum semper agnovit.

14.

Liber Psalmorum eorumque Authores.

Mos canendi hymnos et Cantica in memoriam celebrium Virorum, aut beneficii a Deo præſtiti jam in Libro Moysis 1. et 5. notatur. Sub Samuele tamen in scholis Prophetarum Poesis Musica, et aliæ scientiæ nationales tradebantur 1. Reg 10. Paral. 25. 2. Summum vero faſtigium adepta videtur, consvetudo canendi et psallendi, dum David non solum ut Paſtor, sed etiam ut Rex summopere eam promovit, et ad divinum cultum adhibebat, quo exemplô ad concinnandas hujusmodi cantilenas, quarum Reliquias habemus, non rarò ingenui viri incitabantur, ex quibus tandem noſtrum Psalterium coaluit. Juxta Inscriptionem, Psalmi diversis tribuuntur Authoribus, puta *Davidi*, *Aſsapho*, *Hemmanio*, *Ethan*, *Jeduthun*. Ex inscriptione tamen non semper infertur verus Psalmi Author, quia Psalmus 74. 79. et 81

Assapho adscribitur, cum tamen non constet, eum esse Authorem eorum. Psalmus econtra 122. 124. 131. Davidi inscribuntur, cum post 71. Psalmum dicitur *Psalmos Davidis finiri:* Nam inscriptiones sæpe denotant, hunc Psalmum a tali Cantore cantandum esse, sicut filiis Core cantandi tradebantur. Jdcirco sicut Psalmi varios habent Authores, ita diversis temporibus compositi sunt. Nam Psalmus 90. fœtus Moysis ex Jncriptione et Stylo est, et Psalmi sub nomine Assaphi et Core tempore exilii Babylonici confecti sunt: Aliorum nec Author, nec tempus determinari potest. Hoc tamen certum est, plurimorum Psalmorum Authorem esse Davidem, et eos una cum Psalmis Assaphi sub Ezechia à Levitis decantatos esse 2. Paralip. 29. 30. adeoque jam collectos fuisse. Verosimiliter igitur videtur, Psalmos à privatis collectos, et successu temporis in unum Psalterium coaluisse post captivitatem Babylonicam, et hanc ab rationem unus Psalmus bis ponitur vg. 14 et 53. item 40. et 70. De Divinitate et Authoritate Psalmorum dubitandum non est ob citationes eorum tam in V. quam Novo Testamento et ob traditionem.

15.

Proverbia Salomonis, et Ecclesiastes.

Sicut in defectu librorum Parabolas et Sententias ingeniosas quorumdum Sapientum adoptarunt Ægyptii, Jndi, Arabes, et Persæ, ita Judæi Parabolas consilio prudentia refertas, tanquam bonæ vitæ probitatis et virtutis normas ab antecessoribus relictas conservabant. Jnter has morum Regulas Deus Judæis subministravit Proverbia et Ecclesiasten Proverbia in binas partes dividuntur. Prima invitat ad Sapientiam. Secunda à X. capite continet sententias virtutis et scientiæ ænigmatibus vestitas more Orientis. Huic parti adnexa est appendix, cujus Author esse Agur et Lemuel traditur juxta Jnscriptionem. Parabolæ istæ antquitatis monumenta sunt, et jam sub Ezechia usque ad XXV. caput extasse debuêre, quia predictum caput, sic incipit: *et hæc Proverbia Salomonis sunt, quæ servi Regis Juda Ezechiæ collegêrunt.* Ex quo inferri posse videtur, quod Proverbia XXV. jam Collectoribus nota erant, quia Parabolas Salomonis iis adjunxerunt. Passim Salomon Author habetur Proverbiorum, interim eo forte sensu tantum Author erit, sicut David Psalmorum. Nam 22. 17. *Audi doctrinam Sapientum* et 24. 23, *hæc sunt Proverbia*

Sapientum, dein duplex Appendix confirmare videtur, hanc opinionem, licet Agur filius Jakesch et Lemuel Rex non s upponantur veri Authores, aut veræ Personæ. Quare Salomon ut Epitomator aut Referens tantum spectari poteſt, non vero ut integer Libri Author.

Eodem modo Jnscriptio Salomonem fecit Authorem Libri Ecclesiaſtis. Sed Salomon non poteſt esse Scripturæ Author, quæ Chaldaismo et dialecto græco et Persicô scatet, æque ac Daniel, Eſther et Nehemias. Nam nonnisi poſt fundationem Regni Persici inter Hebræos græcus et Persicus dialectus invalere poterat ex commercio. Scopus hujus Libri eſt monſtrare vanitatem Sœculi discipulo suo seu suo filio, propterea liber habet formam dialogi. Certe nullus Author vicissitudines et vanitatem negotiorum, speculationum et mundi illecebrarum tam succinctè, nullus tam breviter quidquid invita eſt ſtabile, verum, et remuneratione dignum descripsit, quam Ecclesiaſtes. Certe opus Regium et Sanctum. Pauca verba sunt, Synopsis Librorum, Periodorum, et vitæ curriculorum. Et si quid in hoc Libro falsi detectum eſt, tunc vel formam sermonis, vel Personam loquentem non attenderunt. Jnterea ignorantia authoris et temporis conscripti operis nihil demit ejus Authoritati

Nam ante clausum Canonem hodierna forma jam extitit. Philo hunc Librum citat expresse, Josephus vero sub nomine 4. Librorum Moralium mentionem ejus facit. Uterque liber præterea in V. et. N. Teftamento sæpe citatur, adeoque pro divino habendus juxta Traditionem.

16.

Job.

Job non eft ficta Persona, nam Patria determinatur in Regione Edomitarum, vocacaturque Hus, ejus nomen reperitur apud Ezechielem poft *Noe* et *David* 14. 14. ejus ami i recensentur in genealogia Moysis, qui omnes in *Edom* habitabant, non procul a terra Hus. quia alias Jobi infortunium rescire non poterant. Argumentum libri conforme eft moribus Edomitarum, quorum Regio habebatur pro sede scientiæ, et Principes bibebant vinum, fluvius præcipuu Regionis Jordanis erat. Jnterim nemo credit facta in hoc libro ex integro esse hiftorica. Nam amici ejus rescientes de ejus doloribus, ad consolandum eum venerunt, adeoque imparati. Et quomodo tot elaboratas Parabolas, Philosophicas rationes ex abrupto et cum tanto nexu proferre poterant? Certe nec Amici, nec Job hos sermones scribere poterant; Nam ejus amici non præviderunt necessitatem talis colloquii. Deus illis apparuit (l)

(l) *Job.* 38. 1. *et seq.*

et quomodo ex horrore conspectus Dei notare poterant ea, quæ quisque dixerat? Aut quare Job dixit: *Quis mihi det, ut scribantur sermones mei!* Nec poſt finitum colloquium conscribere dicta poterant, quia tanti colloquii inter se et cum Deo quoad verba recordatio retineri non poterat. Verosimilius igitur Poeta Antiquitatis veram hiſtoriam Jobi per Apologum descripsit, oſtendendo, *quam temeraria res sit, scrutari causas adversitatis et prosperitatis singulorum, et de Providentia mundi morali judicare.* Deus hic more Orientalium pro tribunali sedere dicitur, sibique à servis negotia deferri jubet: ipse non judicat, sed consulit creaturas, quas inter Sathanas erat. An hæc Deo conveniunt? Eadem die Job amittit liberos, camelos, boves et oves excepto unico Nuntio, et omnia poſtea juxta numerum filiorum recipit. Habuit namque filios ante tribulationem 7 et 7000. oves, 3. filias et 3000. Camelos, adeoque juxta numerum liberorum 10,000 boves, et 10,000 asinos adeptus eſt. Mox additur, quod poſt tribulationem suam omnia in duplo, rotundo numero acquisierit! Hæc omnia videntur elaborata et ficta, et perpensa æqualitate ſtyli, Apparitione Dei, et multitudine loquentium eundem unumque produnt Authorem.

Hunc librum adjudicant alii Moysi, alii Salomoni, sed sine fundamento. Verosimilius videtur esse Author hujus Libri Judæus, qui Jdumæam et Ægyptum bene noverat, quia Scriptura continet Arabismos et descriptionem rerum, quæ tantum Ægypto conveniunt. Quod autem Judæi usque in Arabiam perrexerant, conftat ex Paral. 7. 21. Videtur etiam liber scriptus tempore Patriarcharum, adeoque ante legem Moysis, quia ubique ferè 4. 5. 13. mores Patriarchales describuntur, ubi Seniores summam habebant Authoritatem, et Deus nullibi ut Rex, sed ut Pater præesse numerosæ familiæ describitur 24. 4. Jnterim hic liber poft captivitatem Babylonicam Canonicis adnumerabatur, et à *Josepho* ut sacer reputatur, multis in locis N. Teftamenti expresse citatur (m).

17.

Cántica Canticorum.

Non unum Carmen hoc librò continetur, sed multa, adeoque collectio Carminum seu Cantilena Cantilenarum vocatur à multis. Judæi et Xftiani Jnterpretes autumârunt, Salomonem suum concubitum cum Ægyptiæ Principissa decantasse, sed hanc Jnterpretationem, aut Jntelligentiam damnavit S. Synodus Conftantinopolitana, apud *Theodorum Mopsu-*

(m) *Mat.* 26. 28. 1. *Cor.* 3. 19.

eſtenum. Alii contra nullum literalem sensum, sed spiritualem tantum, id eſt desponsationem Xſti cum Ecclesia aut eum anima fideli intelligere voluerunt, ut *Theodoretus.* Quia vero et hic difficultates occurrunt, idcirco Hermeneutœ conveniunt, librum ita allegorice intelligendum esse, ut literalis sensus semper præferatur. Carmina data occasione decantata sunt, et ultima ad imitationem priorum esse videntur composita, adeoque integritas aut nexus in hoc libro quærendi non nunt. Prima pars exhibet Carmina amœna et naturaliter, jucunda. 2da mutuatas seu alienas ideas, Appendix vero originaliter de Salomone quasi vivente adhuc tractat. Non sequitur tamen ex Jnscriptione, quod Salomon Carminum sit Author, licet fœtus ejus ætatis sint. Nam Tirza ibi describitur ut Metropolis ſtatûs Jsraelitici, tamen hiſtorice certum eſt, longe poſt Salomonem ad hanc dignitatem eam evectam esse. Occurunt etiam voces et Syntaxes, quæ poſteriorum temporum et commercii cum aliis nationibus argumentum sunt. Unde totius libri vix Author esse poteſt. Hoc tamen non obſtante liber ille semper inter sacros numerabatur, licet in N. Teſtamento nullibi citetur.

Hic terminantur libri verosimiliter ab Esdra 7. — 10. collecti.

PARS

PARS III.

De Libris Deutorocanonicis.

1mo.

Liber Baruch.

Baruch erat filius Neri et frater Sarajæ nobili ftirpe procreatus, et à Josepho ob hebraicæ linguæ peritiam laudatus. Jllô Propheta Jeremias tanquam Scriba secreto usus, adeoque sortium ejus particeps fuit. Quinto anno Regni Sedeciæ cum fratre suo Babylonem relegabantur ad comportanda vasa, quæ sub Jechonia Nabuchodonosor in Chaldæam asportâverat. Obtulerunt quoque Epiftolam à Jeremia ad captivos, quæ lecta in Euphraten projecta fuit Jerem 50. et 51. quia lectione ejus commoti erant, et collectâ summa, miserunt illam cum Epiftola Fratribus in Palæftina verosimiliter per Baruchum. Reddita Epiftola summo Sacerdoti Joachima filio Sedeciæ comitabatur Jeremiam in Ægyptum, et mortuus eft, ubi et quomodo ignoratur.

Liber Baruchi describit iter et causam itineris. Sequitur Epiftola sub Jechonia ad Judæos in Palæstina, ubi exules, fatentur sor-

tem suam esse pœnam præteritarum prævaricationum. Tandem ut appendix ponitur Epistola Jeremiæ, in qua inanitas Deorum Babyloniorum monstratur. Idololatria proh betur, et usque ad 7mam generationem in exilio permansuri scribuntur, Author hujus Libri ignoratur, et non reperiebatur in sacra Bibliotheca; S. Hieronymus eum versioni LXX adjunctum reperit. Quia tamen antiqui Patres hunc Librum mox sub nomine Jeremiæ, mox Baruchi citabant, adeoque paulatim a particularibus Conciliis, tandem ab Ecclesia Catholica inter Canonicas Scripturas fuit recensita.

2do.

Liber Tobiæ.

Tobias ex tribu Nephtali cum consortibus suis advenit in captivitatem Assyriorum, et sub Salmanassar officio decimatoris functus, proselytis et advenis non pauca subsidia de suo ministravit, et apud contribulem suum Gabelum partem mercedis suæ deposuit. Post mortem Salmanassaris Regis mutata est sors Tobiæ et concaptivorum ejus. Nam Sennacherib Patri suo succedens, odio in illos efferbuit, morte affecit multos, et Tobiam officio privavit. Hic interim mortuos sepeliebat, et quia sine periculo vitæ eos die tumulare non poterat, abscon-

debat eos per diem, ut nocturno tempore eos sepeliret, et nonnisi poſt mortem Tyrani palam apparuit. Poſt opera misericordiæ, semel quiescens fortuitò visu privatus fuit, non ideo tamen contriſtatus eſt contra Deum. Dum vero Parentes et cognati ejus et uxor irriderent eum, dicentes: *ubi eſt spes tua*, ingemiscens dixit, *expedit mihi mori magis quam vivere*. Eodem die Saræ filiæ Raguelis concaptivæ simile contigit infortunium. Habebat illa maritos, quos Asmodæus ante complexum suffocaverat. Cum ancillæ illi insultarent, quod tot maritos occidisset, hæc proposuit in corde suo sibi vitam adimere. Consideratâ tamen re maturius, et fusa ad Deum cum Tobia Oratione, ad vindicandam suam innocentiam, Raphael Angelus utriusque Orationem Deo obtulit, et eos exaudire, et à calamitate liberare proponit. Raphael enim mittitur à Deo ad Tobiam, ut ejus filio sit Comes itineris in Rages ad sublevandam pecuniam. Et ecce in via utrique præparatur remedium ad tollendum amborum infortunium. Dum enim vespere se in Tygride lavare vellet Tobias, piscis invadit illum, Angelus vero mandat ei, ut eum tollat, et exenteret, fel jecurque sibi reservet, fel ut remedium contra cæcitatem jecur contra dæmonium. Obtemperabat Tobias, et fumo combuſti jecoris Asmodæum abegit.

duxitque Saram in uxorem. Accepta pecunia reversi sunt in Niniven et imposito fele supra oculos Patris, Tobias illi visum reftituit. Dum autem de mercede danda Raphaeli deliberant pater et filius, resciunt, eum Angelum esse, adeoque Dei solius misericordia sanatos. Hæc eft Synopsis Libri Tobiæ. Nunc quæritur, an hæc narratio vera hiftoria sit? Concedunt, fuisse Tobiam tempore Regis Salmanassar, qui se probitate commendaverat. Negant autem, omnes hic descriptas circumftantias, vera facta esse, et nonnisi admittunt Authorem Libri per similia exempla Tobiæ et Saræ oftendere voluisse: *Deum exaudire preces servorum suorum*; Nam 2. 15. Tobiæ concordat cum Job 2. 9. et Caput 7. 9. Tobiæ cum capite Moysis Genesis 24. 33. Orationes desumptæ sunt ex Jsaia 58. Amos 8. Psalmo 25. Occurunt multi Anachronysmi. Præterea improbabile eft, Tobiam Authorem esse libri, ut vult Calmet, quia occurrunt ideæ et opiniones Judæorum, quæ consonæ non sunt ætati Salmanassar. Deinde Vulgata loquitur de Tobia, in 3tia, Græca Versio in prima Persona. Exinde nil certi, quoad Authorem et tempus inferri poteft. Neque sciri poteft, quâ lingua conscriptus sit Liber, quia duos textus discrepantes habemus nempe Græcum seu LXX. et Chaldaicum,

et non poteſt determinari, quis textus mutatus sit, an græcus juxta quem versio vulgata versa eſt, an chaldaicus? Jnterim hæc non obſtant, quin liber ille ut divinus et Propheticus spectetur, et ab Ecclesia in Sacrum Canonem recenseretur, cum in Parabolis etiam divinæ veritates contineantur, licet non omnes Parabolæ partes hiſtorice probari queant.

3tio.

Liber Judith.

Poſtquam Nabuchodonosor rex Assyriorum debellaverat Arphaxad Regem Medorum, elevatum eſt cor ejus, et ſtatuit omnem terram suo subjugare Jmperio: Belli dux conſtituitur Holofernes, cui Deorum simulacra evertere, et solum Nabuchodonosorem Deum proclamare jubet. Poſt multas ab eo reportatas victorias tremor et horror invasit omnes, ut pacis nuntios mitterent omnes nationes, se se Regi submittentes, solis Judæis ad consilia Sacerdotis Eliacim resiſtentibus, vias et transitus cuſtodientibus et defendentibus. Holofernes commotus resiſtentia exigui populi juravit, se deleturum Judæam, jamque obsidebat Bethuliam. Deficiente annonâ et aquâ seniores civitatis ſtatuerunt, intra 5. dies dedituros se, et civitatem, si intra hoc tempus non superveniret auxilium.

Jn his rerum anguſtiis *Judith* filia *Merari* vidua civitatem ab obsidione, et populum ab excidio liberare tentat. Eleganti aspectu ingreditur caſtra Assyriorum, ductaque statim ad tabernaculum Holofernis, quasi propter futuram deprædationem fugitiva, adoravit eum, ut is propter decorem, quem illi Dominus contulerat, ſtatim captus eſt in oculis ejus, ut etiam sibi cohabitare permitteret, et de mensa sua illi dare necessaria. Sed *Judith* renuens, hanc solum gratiam poſtulavit, ut sibi de suo vivere, maneque et vespere extra caſtra ad orandum Dominum egredi liceret. 12. 2. Quarta autem die Holofernes facta cœna vino fatigatus jussit Judith introduci in tabernaculum, quæ ebrium et somno pressum pugione percussit, qui in columna ad caput lectuli pendebat, caput abscidit, et illud ancillæ suæ tradidit, ut mitteret in peram suam. Egressaque extra caſtra juxta morem de mane, intravit Bethuliam, et caput Holofernis publice oſtendit. Quo viso electa juventus irruit in exercitum Assyriorum, prosecutaque eſt fugientes in ore gladii. Reliqui in Bethulia ingressi caſtra prædam abſtulerunt, et onuſtati sunt, clangentes tubis et ululantes. Hæc summa Libri eſt, et nunc quæritur? an historice vera sit? Et Respondent negando. Nam non obſtante grandi discrepantia

textum Græcum inter et Chaldaicum, nullum veſtigium hujus expeditionis Assyriorum sub Nabuchodonosore in Judæam, et cladis ante Bethuliam eſt. Etiam inter Reges Ninive nullus fuit hujus Nominis. Deinde 5. 23. dicitur expresse, factam fuisse expeditionem poſt captivitatem Babylonicam, sed tunc notorie jam extinctum fuit Assyriorum Regnum. Dicitur 3. 1. *Holofernes sibi subegit omnes Regiones in majori et minore Asia*, cum tamen omnes Regiones et Judæa sub dominio Persarum extiterunt. Ultraque dicitur, Arphaxad Rex Medorum fundasse civitatem Egbatanam, et a Nabuchodonosore captus, cum tamen Dejoces civitatis fundator ab Herodoto scribitur. Nominantur etiam civitates ignotæ, aut saltèm remotæ a loco conflictûs. Tandem 14. 31. dicitur, quod dies victoriæ quotannis à Judæis tanquam sacer colitur, cum nec antiqui, nec moderni Judæi licet antiquitatis tenaces aliquid de illa Solemnitate sciant. Patet ergo Authorem hujus Libri non hiſtoriam, sed Apologum conscribere voluisse, quo oſtendat, *quam acceptus sit Populus Judaicus, Deo, cui Moysis legem servandam concredidit.* Quare templum, Dei proprietas, et Antecessores Judæorum, Electi vocantur. Et ut descriptio hujus privilegii penitius imprimeretur memoriæ Holofernis, enarratur ab incircum-

ciso, qui ab Abraham usque ad Exilium ex fontibus ordine et succinctè disserit; Quomodo prosperitas et adversitas nationis à servatione Mandatorum Dei vel eorum omissione dependeat. Adeoque de pœnitentia Populi et Judith, de jejunio et Oratione, de Sacrificiis juxta Legem Moysis dicitur, quô liberatio ab obsidione tanquam gratia singularis monftratur. Hæc et oratio Achioris Apologum supponunt, adeoque hiftoriæ et chronologiæ difficultates neminem jam offendere debent. Quis sit Author libri, quâ lingua primariè scriptus et quando? incertum eft. Videtur tamen poft Captivitatem exaratus, quia Achior expresse dicit non diuè captivitate reversos Judæos (n), et Civitatem et templum in pofsefsionem accepisse, adeoque poft reftaurationem ædi Templi librum prodiisse, conftat. Quomodo autem in Sacrum Canonem relatus fuerit, conftat ex dictis.

4to.

Liber Sapientiæ.

Librum *Sapientiæ* antea Panaretos dictum, quia ad virtutem adhortatur, alii Salomoni, alii *Jesu Sirach*, alii Philoni adjudicant. Quidquid sit Salomon non poteft

---

(n) *Judith* 5. 23.

esse Author libri, quis alias in Sacrum Canonem mox esset receptus, deinde textus primigenius est græcus. Neque *Sirach* est Author libri, licet eum ut talem Augustinus agnovit, sed suam opinionem retractavit. Neque Philonem ut Authorem probare historice possunt. Hoc tantum certum est, quod post exilium liber lucem aspexerit clausa Sacra Bibliotheca, et quod Author in Ægypto degerit, et cum Philone ex eodem fonte hauserit, licet determinari non possit, quis sit Author, et quando scripsit. Liber tamen optimas continet instructiones pro Magnatibus et vulgo ad amplectendam virtutem, maxime vero probitatem. Quod autem liber Salomoni adscriptus sit, juxta morem factum est ævi, quo similia scripta celebribus viris adscribebantur. De authoritate hujus libri idem ac de cœteris Deuterocanonicis sentiendum est.

5to.

Eclesiasticus.

Prædictus Liber antiquitus *Sapientia Salomonis*, *Proverbia*, *Sapientia Jesu filii Sirach Ecclesiasticus*, etimologice vero: *Liber in cœtu Religioso ad prælectionem destinatus* vocabatur. Author hujus libri movet ad amplectendam scientiam, quæ in co-

gnitione et exercitio virtutis consiſtit, ad quod diversas præbet formas. Celebrat Deum laudibus, et conspicuos suæ nationis viros laudat. Stylus obscurior, eſt, quam in Libro Sapientiæ. Salomoni hic liber attribui nequit, quia inter alios celebres viros Simonem Summum Sacerdotem laudat, qui aliquot sæculis poſt Salomonem vixit. Jesus filius Sirach autem verus ejus eſt Author: Nam sic habetur 58. 29. et 51. 1. Ejus nepos, qui librum in Græcum vertit sermonem, prædicto filio Sirach librum adjudicat, et illi ab antiquioribus Scriptoribus attribuitur. Circa tempus, quo compositus eſt, ex libro ipso comperimus, qui de oppressione Judæorum et violentiis queritur, sub quibus Sancta Civitas et tota natio gemebat, propterea poscit a Deo liberationem a tanta miseria et ultionem contra Persecutores. Tam triſtis ſtatus Judæorum fuit ante Xſti Nativitatem 176. et 134. Regnante Anthiocho Epiphane in Syria, et Ptolomæo Evergete in Ægypto, qui et Phiscon dicitur. Et revera Jesus filius Sirach junior 35. anno prædicti Ptolomæi in Ægyptum migravit, ibique invenit librum, quem græce vertit. Quomodo liber ille Canonicus habitus sit, non videtur repetendum.

6to.

Duo Libri Machabæorum.

Poſt Captivitatem Babylonicam Judæi sub Regimine Perſarum degentes, potiſsimum regebantur a præfectis provinciæ, qui non raro è gremio eorum eligebantur, et sub Adminiſtratione eorum duxerunt vitâm sufficienter transquillam, illis admodum opportunam ad ſtabiliendam tam politicam, quam Religiosam pacem et quietem. Conſtat enim ex supra dictis. quanti erant conatus Esdræ et Nehemiæ cœterorumque ad introducendam Regiminis formam, fulti enimRegum Protectione et potentia erant. Cum tamen Alexander M.Perſarum Regnum deleverat, et subegerat, et poſt amplas victorias in flore juventutis nullo successore designato mortuus fuerat, immensum fere Regnum Alexandri cum Judæa præda Gubernatorum Provinciarum evasit, quorum quisqué cum damno suorum vicinorum pro viribus suam provinciam aut Regnum dilatare conabatur. Judæi ergo mox Ægipti Regibus, mox Syriæ subdebantur, sub quibus, eorum ſtatus juxta qualitatem Regum nunc tolerabilis, nunc triſtis erat. Religio eorum nullam usque ad Antiochum subivit mutationem, quia nonnisi politicos respectus intendebant Reges, qui eos in suas

Provincias captivos abducebant. Antiochus tamen Epiphanes vel ex odio Religionis Judaicæ, vel ad instantiam quorumdam Judæorum, Religionem aversantium, Moysis legem tollere et græcum cultum inducere conabatur. Sed hæc agendi ratio cœterorum Judæorum commovebat animos, et bellum Religionis excitavit, quod multos annos duravit, et cum Jndependentia Judæorum sub Summis Sacerdotibus Simone et Hircano terminatum fuit. Descriptio gestorum a Mathatia ejusque filiis exhibetur in 4. libris Machabæorum, Quia tamen duo tantum Canonicis adnumerati sunt; idcirco de duobus posterioribus nulla mentio fiet.

Primus liber historiam 40. annorum complectitur, ab Antiocho scilicet usque ad mortem Summi Sacerdotis Simonis, eratque hebraice scriptus, visusque est ab Origene et Hieronymo, et occurrentes hæbraismi hoc ostendunt. Secundus 15. annorum historiam continet, in quo vexatio Judæorum et Sacrilegium Heliodori, et mors Nicanoris Ducis exercitus Syriæ narratur, 2. Mach. 3. 15. A principio duæ Epistolæ ponuntur, quas Judæi in Palæstina scripserunt ad fratres in Ægipto, invitantes eos ad festivitatem purgationis Templi Jerosolymitani. Sequitur dein Oratio Nehemiæ,

et notitia de Arca fœderis et Altari, quæ *Jeremias* tempore Peregrinationis Babylonicæ absconderat usque ad reditum. Duo isti libri a duobus Authoribus promanare videntur, quia in primo æque, ac in secundo feré oppressiones Judæorum ab *Antiocho* factæ prolixè describuntur, et non obstante identitate argumenti narrationis, diversi fontes, ex quibus hauserant, innuuntur. Diversus quoque stylus in utroque libro apparet, utpotè elegantior et liberior in secundo libro, quam in primo.

Quando vero libri scripti sint, non potest determinari. Hoc constat, quod ex fontibus certis hauserunt, et ad Machabæorum consilium scripti sunt. Non erant redacti in Sacrum Canonem, ut potè editi post exilium. Citabantur tamen sæpe verbis *sicut dicit Scriptura*. Et *Origenes*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Hieronymus* ex illis argumenta petierunt, quo factum, ut primò a particularibus, dein ab Æcumenica Synodo Tridentina inter Sacros recenserentur.

Appendix.

De quibusdam subsidiis et regulis ad explicandum divinum Codicem inservientibus.

Ante omnia geographica Palæstinæ notitia, sitûs, partitionis, urbium, et fluminum, necessaria est Hermeneutæ. Quapropter ab illa ducemus exordium.

§. 1.

Denominatio Palæstinæ ejusque Partitio.

Palæstina Philisthæorum Regio fuit, quia hi expulsis *Chananæis* partem trans Jordanem *Chanaanitidis* possidebant. Subinde expulsis Philisthæis, Regio illa ab *Israel* occupata fuit, et terra *Israel* nuncupata. Et quia maxima et princeps tribus illam inhabitabat, Juda nempè, adeoque terra *Judæ* seu *Judæa* dicta fuit. Postremis temporibus *Terra Sancta* dicta est, quia SS. Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, et Reges, et SS. Dux et Princeps Salvator ibidem vixêre, et Sanctissimæ Religionis divinæ mysteria peracta fuêre.

Limites terræ hujus, Patribus promissæ, inprimis Abrahamo, dein Semini ejus, à *Nilo* Ægypti fluvio usque ad *Euphratem* Gen. 15. 18. indicati sunt. Namque versus Meridiem respiciebat Ægyptum, Idumæam, et Arabiam desertam. Versus Septentrionem, Phæniciam, Assyriam et Chaldæam. Versus Orientem, Regionem Moabitarum et Ammonitarum. Versus Occiden-

tem, Mare Mediterraneum. Hi tamen limites sub *Davide* et *Salomone* magis extensi sunt. Dividebatur inprimis sorte in 12. Tribus. Sub *Salomone* autem in 12. Præfecturas. Sub *Herode* et *Romanis* in 4. Præturas, *Judæam* nempe, *Samariam*, *Galilæam* et *Peræam*.

§. 2.

Provincia Judææ.

Judæa 4. tribus complectebatur, videlicet *Judæ*, *Simonis*, *Dan* et *Beniamin*. Respiciebat versus Ortum, Jordanem et mare mortuum. Versus Meridiem Amalecitas, Jdumæam, Arabiam desertam, et Ægyptum. Versus Occasum, Philistæos, et mare Mediterraneum. Versus Septentrionem, Samariam. Mare apud Judæos significat aquarum confluxum, et sæpe paludibus et lacubus tribuitur. Mare mortuum ideo vocatur, quia propter alumen et bitumen pisces moriuntur. Apud *Joelem* 2. — 20. dicitur mare *Orientale*, quia limitem Judææ orientalem effecit. Apud Josue 3. — 16. dicitur Mare *Planitiei*, quia plana loca Occasum et Septentrionem versus contingit. A profanis Scriptoribus dicitur *Lacus Asphaltitis* propter abundantiam bituminis.

Mare iſtud eſt 18. milliaribus longum, et 15. latum.

Flumen præcipuum et maximum in Judæa eſt *Jordanis* mediam Palæſtinam interluens, et in *Syria* geminis scaturiginibus oriundus, quarum una *Jor* altera *Dan* dicitur. 2. Torrens *Schicher*, qui limes inter Judæam et Ægyptum spectatur Josue 13. — 3. 3. Torrens *Besor*, ubi *David* Amalecitis prædam eripuit 1 Reg. 30. — 9. 4. *Sosek*, ubi Dalila habitabat, et exploratores ingentem botrum absciderunt. 5. *Kedron*, niger et triſtis, in quem omnes sordes et quisquiliæ conijciebantur, et eum Servator ante passionem transivit. Joan 18. — 1. illabitur in mare *mortuum* penes *Jerusalem* transfluens.

Jnter urbes Judææ sunt; *1mo. Bethleem*, in monte posita, antea *Ephrata* dicta, sesqui leucâ diſtans a *Jerusalem*. Extitit Davidi et Servatori natalis. 2. *Japho* seu *Joppe* 5. milliaribus diſtans a *Jerusalem* cum portu maris Mediterranei, hic *Jonas* navem conscendit. 3. *Jerusalem* Metropolis Palæſtinæ, montibus cincta, fontibus, hortis, et campis ornata, in tribu *Beniamin* sita. Hanc extruxisse fertur Rex *Salem* seu *Melchisedech* Rex et Sacerdos. Antea vocabatur *Jebus* à *Jebusæis* occupata, quorum Rex *Adonizedech* a Josue profligatur eſt.

Josue

Josue 10. — 1. Expugnata arce *Sion* vocata est *Jerusalem* seu visio salvæ, dein *Urbs Sancta*. Erat quadrata, extructa supra 4. excelsos montes, validis turribus, et muris altis et portis munita. Primus mons erat *Sion* altissimus, in quo erat civitas *David*, vel Turris *David* præceteris firma. Cant: 4. — 4. versus Austrum. 2dus mons versus Occasum, erat *Acra*, ubi Arx ab *Antiocho* extructa, quæ ut inferior, *filia Sionis* dicebatur, propter distinctionem ab urbe superiore *Sionis*. 3tius Mons versus Ortum *Moria* fuit, ibi erat ædificium templi magnificentissimum, et ibi Abraham filium suum immolaturus erat Ponti jungebatur Monti *Sionis*. Non longé a templo erat piscina *Bethsaida*, in qua pecora ad sacrificia abluebantur. 4tus Mons erat *Bezetha*, supra quo Urbs nova condita fuit. Extra urbem erat 1. Mons *Olearum* è regione templi, juxta erat hortus *Getsemani*. 2. Vallis *Hennom* in qua erat fanum *Molochi*, ubi pueri offerendi per ignem traducebantur. 2. Reg: 16. — 3. postea Vallis *execrationis* denominata fuit. Dum vero Rex Josias Sacrificulos ibi mactavit 2. Reg. 23.—20. Vallis *occisionis* dicta fuit. Deinde in hanc vallem sordes et cadavera deportabantur, perpetuo igne consumenda, et *gehennæ* nomen accepit; Math: cap.5.—22.

3. Mons *Golgotha*, cui adsita erat Vallis cadaverum et cinerum, a facinorosis supplicio hoc in monte affect s.

Portæ *Jerusalem* potissimum erant: 1. Porta *Sion* ex adverso vallis *Kedron*, quâ per gradus in urbem *Sion* ascendebatur. 2. Porta *Piscaria*; quâ pisces a *Joppe* inferebantur. 2. Paral: 33. — 14; 3. *Stercoraria* quâ feces, sordes in *Cedron* devolvebantur, Nehem 2.—13. 4. Porta *fontis*, penes quam ex arce *Sion* excurrens fons Natatoriam *Siloë* seu *Piscinam* effecit. ex qua Judæi festo tabernaculorum læti hauriebant aquas, et in qua cœcus se lavit et vidit, Joan: 9 — 7. Ponè erat Turris *Silo* quæ collapsa 18. homines conquassavit. 5. Porta *Recensionis*, in qua Seniores Judicia celebrabant publica, Nehem: 3 — 31. Post Jerusalem 4. civitas est *Jericho* in tribu *Beniamin*, 4. milliaribus dissita à *Jerusalem*, ob odorum fragrantiam, a rosis et floribus, dicta etiam civitas *Palmarum* Deut. 34. — 3.

§. 3.

Provincia Samariæ.

Hæc nonnisi tribum *Ephraim* et mediam tribum *Manassis* continebat. Sub Regibus *Israel* peculiare Regnum constituebat, ex

10. Tribubus conflatum. Sub Persis, Græcis, Romanis à Prætoribus gubernabatur. Sita erat inter *Jordanem* versus *Ortum*; inter *Judæam* versus meridiem, inter mare *Mediterraneum* versus Occasum, inter *Galilæam* versus Septentrionem. Fluvius notissimus erat *Crith*, qui apud Josue 16—8. arundinaceus dicitur. Ubi *Elias* a corvis cibô reficiebatur. 1. Reg. 17. — 3. Mons præcipuus erat *Salmon* densâ silvâ cinctus, et nivibus tectus, Psalm: 68 — 15. Urbs præcipua erat *Samaria* 11. milliaribus à Jerusalem in monte *Schomron* sita. Hanc civitatem destruxit *Salmanassar* Assyriorum Rex. *Hircanus* Judæorum dux eam solo æquavit. *Gabinius* Syriæ Proconsul reædificavit. Herodes vero *Sebasten* nuncupavit et Augusto tradidit. Tempore Christi non erat superstes civitas *Samariæ*, bene secta *Samaritanorum*. 2da Urbs erat *Sichem* ex urbibus Asyli una, 10. milliaribus a *Jerusalem* geminos inter montes dissita, in quorum uno *Grisin* seu Benedictio, in altero *Ebhal* seu Maledictio pronuntiabatur. Deut: 11—29. In illo *Grisim* seu *Garizim* Princeps Samaritanorum *Sanabalath* templum extruxit. Jean 4. — 20.

§. 4.

Galilæa.

Hæc Tetrarchia sub *Herode Antyppa* dividebatur in superiorem et inferiorem. *In superiore* erat Tribus *Nephtali* et *Asser*, vocatur sæpe *Galilæa gentium*, qui Pagani multi eam inhabitabant. Ad Ortum habebat *Jordanem*, ad Occasum mare *magnum* et *Phœniciam*, ad meridie *Lacum Genezareth*, et inferiorem *Galilæam*, ad Aquilonem *Syriam* et montem *Antilibanum*, qui et mons *Hermon* seu *Sichon* in Scripturis dicitur, in quo erant præstantes abietes et cedri. Fluvii notiores in superiore *Galilæa* sunt: *Lebnath* et *Ban* scaturigo Jordanis et *Jor*. Ad confluentem duorum horum fontium sita est urbs *Lasem*, quæ postea *Lais* tandem *Dan* dicta fuit. Hæc civitas extimum erat *Palæstinæ* munimentum versus Aquilonem, sicut *Bersabea* versus Austrum. Unde sæpe dicitur in Scriptura, à *Dan usque Bersabee*. Postea a Græcis *Paneos* et à *Philippo* Tetrarcha *Cæsarea Philippi*, nominata fuit. In monte prope istam civitatem Christus fuit transfiguratus.

Galilæa inferior, est terra amoena et fertilis, Christi miraculis et conversationibus celebratissima, à qua Christus, et Apo-

ſtoli et primi Chriſtiani *Galilœi* vocabantur. Jn hac terra erant tribus *Jſsachar* et *Zabulon*. Ad ortum habebat mare Galilææ, seu Tiberiadis, quod et Lacus *Genezareth* dicitur, qui piscibus abundat, ex quibus *Petrus*, *Andreas*, *Joannes* et *Jacobus* vitam tolerabant, 12. milliaria in longum, 5 in latum occupabat. Versus Meridiem respiciebat *Samariam*. Versus occidentem tribum *Aſser*, et versus Aquilonem superiorem Galilæam. Montes erant; 1. *Carmelus* habitaculum *Eliœ* et *Elizœi*. 2. *Thabor* 30 ſtadiis altus, cum planitie superna 20. ſtadiorum. Erat mons ille rotundus. 3 Mons *Hermon*, cui collis rore ubere circumjectus erat. Loca memorabilia erant. 1. *Nazareth* ubi Chriſtus educatus et *Nazarœus* vocatus fuit. 2. *Cana* patria *Simonis*, ubi aqua in vinum conversa fuit. 3 *Tiberias* Metropolis Herodis Tetrarchæ cum Academia *Rabbinorum*. 4. *Emmaus* thermis celebris. 5. *Capharnaum* in cujus Synagoga Chriſtus plurimum docebat, non longe a Lacu *Genezareth* sita.

§. 5.

Tetrarchia Perœa.

Provincia hæc denotabat Regionem Transjordanensem, nempe terram resectam a *Cha-*

naanitide. Sub Romanis divisa erat in *Iræam*, *Bataneam*, et *Gaulonitidem*. Erat hæ Regio antiquitus Amorritarum, et Jsraelitæ eam Regi *Sihom* eripuerunt, et tribus *Ruben* et *Gad* et dimidia *Manaſsis* eam inhabitabant. Versus Auſtrum *Moabitas*, versus Occasum, *Mare mortuum* habebat. Montes *Abarim* dicuntur *Tumuli transitorii* Num 21—11. quia erant series collium a *Galaad* usque *Jericho* includentium montem *Nebo*, in cujus vertice Moyses vidit terram *Chanaan*, mortuus et sepultus eſt. Fluvius hujus terræ eſt *Arnon* ex montibus Arabiæ desertæ oriens, et labens in mare *salsum*: Etiam eſt *Galed* seu juxta Vulgatam *Galaad*; acervus Teſtimonii, *Jacobum* inter eſt *Labanum*, quæ terræ Galaaditidis nomen dedit; habet arbores gumnosas et balsamicas.

Batanæa erat Regnum *Basan*, ex quo Jsraelitæ Regem *Ogum* exturbârunt, hæc Regio habebat pingvissima et robuſtissima pecora. Possidebatur a dimidia tribu Manasse, sita erat versus Ortum ad montes *Arabiæ* desertæ, versus Meridiem ad Galaad, versus occasum ad Gaulonitidem, versus Boream, ad Provincias Trachonitidis et Jturæam. Urbs Regia hujus Provinciæ erat *Aſteroth* ab Jdolo Phænicum *Aſteroth*; Jn

templo hujus Deæ, Philistæi arma Saulis interfecti suspenderunt. Repræsentabant eam sub specie mulieris desinentis in piscem, Quare ad Hæbræis hæc Dea *Dagon* seu magnus Piscis vocabatur.

Gaalonitis Regio ab Urbe *Galon* nominata, erat urbs Asyli et Levitarum. Hæc regio vocatur Regio *Gerasenorum* trans fretum maris. Marci 5. 1.

Corollarium.

Ex hac descriptione planius textus Scripturæ sacræ intelliguntur, vg. Psalm: 78—8. *et descendent a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ.* Nempe, a mari Jdumæo aut Rubro, ad mare Philistæorum aut Mediterraneum, quæ erat longitudo Palæstinæ, a flumine *Euphrate* ad terminos terræ Jsraeliticæ, nempe Græciam seu Jnsulas Gentium. Gen: 49. 11. *Abluit vino vestimentum suum et sanguine uvarum coloratum pannum suum, rubicundior oculis, et vino, et candidior dentibus lacte.* Denotat abundantiam vini et lactis in tribu *Juda.* Jtem Psalm: 42. *Memor eram montium Hermon, ubi abyssus abyssum invocat ad sonum canalium tuorum,* significat decurrentes aquas, quæ jucundo murmure sibi respondebant. Psalm: 68—16. mons *Basan* dicitur *mons Dei* seu

Altissimus, *mons coagulatus*, *mons pinguis*, quia propter abundantiam fiebant ibi optima cœgula, ex lacte, caseo, butyro. Sic Jsaiæ: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron* 35. felicitatem et reparationem significat, sicut vituli *de Saron* et arietes de *Moab* præstantissimi censebantur.

§. 6.

De Ritibus moribusque Judaicis, puta Pastoritius, Agrariis, Bellicis.

1. Si noveris, Pastores diu noctuque in tentoriis, armentis invigilasse, ac vitam Nomadum duxisse, facile intelliges Jsaiam 38—12 *Generatio mea ablata est a me, quasi tentorium pastorum*; et Psalm. 22—13. *Circumdederunt me tauri pingves, validi de Basan.* Nempe, potentes et robusti viri.

2. Si scires, triplicem modum exterendorum granorum fuisse apud Judæos, Boum pedibus nempe, flagellò seu baculô, et tribulâ seu trahâ tritoria, facilè intelliges Deut. 25—4. *Non alligabis os bovi trituranti*; et *Jsaiæ* 28—27. *quia non tribulâ acutâ triturabitur nigella, neque rotâ plaustri super cuminum circumagetur, sed baculô excutienda est nigella, et cuminum virgâ.*

3. Gnaro, quod Hebræi inter alia arma bellica habebant currus ferratos, quorum ro æ binis falcibus instructæ erant, duos eu tos prominentibus, quibus milites vecti in hostium cuneos irruebant, omnia cæde complentes, facilé intelligitur Exodi 15 1. *Currus Pharaonis et copias ejus projecit in mare*, habebat enim Pharao 600 hujmodi currus. Salomon vero 1400.

4, Gnaro, quod præter Duces exercitûs Scribæ in bello erant necessarii, legendis militibus præfecti, et Sacerdotes, qui tubis ante pugnam clangebant, facilis erit textus Jsaiæ 33 — 18. *Animus tuus cogitabit timorem? Ubi est conscriptor? ubi perpendens, ubi recensens turres?* Perperam enim habet Vulgata, *ubi est literatus, ubi verba legis ponderans? ubi doctor parvulorum?* Simili modo absque nexu et sensu reddit Vulgata Psalm: 50 — 6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcûs.* Nàm ita reddi debet, *Posuisti timentibus te vexillum, quô conspicuos se exhibeant coram veritate.*

5. Etiam a modo vestiendi multæ desumptæ sunt Phrases. Nam Psalmo 132. *Sacerdotes tui induant justitiam*, et 104. *Dominus decorem induit*, denotat prædicos esse Deum et Sacerdotes gloriâ, *Induti*

sunt campi (non arietes ovium sicut vulgata), *ovibus* idem eſt, ac tecti sunt. 65. 14. *Jn Jdumæam extendam calceamentum meum*, 60—10. id eſt Jdumæam occupabo.

§. 7.

Poësis et Muſica.

Judæi sub ardentissimo cœlo habitantes, vividis quoque affectibus exardebant. Non poteſt quidem sciri, an metrô an Rythmô, an utroque mixtô divini Vates scripserunt, certum tamen eſt, quod eorum Poesis erat *pathetica*, et ita lepore gratiis, et sententiis referta, ut figura figuram exciperet, et mox Prophetæ, mox Deus, tum probus aut improbus, sæpe montes et flumina vocem emittant. Aliquando desumuntur ævo noſtro absurdæ similitudines ab aquilis, gregibus, cedris, Cant 4—2. *Dentes tui sicut grex ablutarum, quæ ascendunt de lavacro, quæ omnes gemelliparæ, nec abortum paſsa eſt inter eas* hoc eſt: Dentes tui sunt candidi, æquales, non interrupto ordine integri. Nihil eſt in Psalmis et Canticis prætermissum, quod in profana Poesi molles spirat amores, hoc tantum discrimine, quod profani Poetæ ad turpes amores incitent, Sancti vero castos inculcent.

Musica apud Hæbræos videtur esse simplex, et numerosissima, ita tamen, ut non numerus musicorum, sed verba et toni harmoniam conficerent, ac animi sensibus responderent. Nam *Saul* ad sonum instrumentorum alium virum induit, et Prophetis adnumeratus fuit. *Moabitæ, Amonitæ* ad musicorum concentum pavore perculsi sunt, et mutuis vulneribus a se confossi. 2. Paral. 20—21. A *Davide* erant instituti 4000. Cantores. His præerant *Asaph*, *Hemman* et *Jedethun*, qui omnes simul habebant filios 24. quorum quisque classibus musicorum præfectus erat. Eorum instrumenta erant. I. *Fidicularia* veluti *Nabhum* instar lagenæ a Salomone fabricatum. 2. *Decachordum* ex 10. fidibus instar Cytharæ nostræ. 3. *Trechordum* ex 3. fidibus. 4. *Scheminith* aliis octava respondens, quale hodie viola. Male Calmet intelligit 8vam classem musicorum. 1: Paral. 15—21. 5. *Sambuca* habet fides plexas et inplicatas. II. *Pneumatica* seu *Flatilia* ut *Tuba* a sono fracto, 2. *Buccina* a cornu dicta, 3. *Cornu* speciatim, quo annus Jubilœi indicabatur: 4. *Nehila* habebat tibias intus apertas et perforatas. 5. *Organum* tibiis continenter junctis constabat. 6. *Sumponia* erat tibia obliqua, III. *Pulsatilia* I. *Tympanum*. quod minus nostratibus manibus et virgulis æneis

pulsabatur. 2. *Cymbalum* seu *Tintinabula* a continuo tinnitu 3. *Sistra* quâ homines ad saltandum agitantur stridulo sono ut S. Hieronymus ait.

§. 8.

Stathmica seu de Mensura, Pondere, et Moneta Hæbræorum.

Mensura longitudinis erat digitus transversus, adæquans 6. continua hordei grana. 2. *Palmus* continebat 4. digitos. 3, *Spithama* expansioni manûs à pollice ad digitum minorem æquabat, seu 3. Palmos. 4. *Cubitus* sex Palmos seu spatium a cubito ad extremitatem digiti medii habebat. Sic Spondæa Regis *Basan*, quæ Deut. 3—11. dicitur habere 9. cubitos longitudinis, nostratis mensuræ æquat duntaxat $13\frac{1}{2}$. pedum. Sic *Goliath* 1. Reg. 17 — 4. 9 tantum pedes altitudinis et 1. spathmam nostram habuit, licet 6. cubitos et palmum habuisse legatur. 5. *Pes* 15. pollices nostros. *Stadium* 400. cubitos. Jter Sabathi 2009. cubitos seu 4. partem leucæ germanicæ exhibebat. Mensura cava *liquidorum* erat 1. *quadrans* logi seu sesquiovum. 2. *Logus* sextarius seu 6. ova capiens. 3. *Hin* continens 12. logos, seu 72 ova, vel 3. amphoras. 4. *Cadus* 6. Hin seu 18. Amphoras. 5. *Corus*

10. Bathos seu Cados continebat vel 180. amphoras.

Mensuræ cavæ *aridorum* erant 1. *Cubus* 24. ova. 2. *Omer* $43\frac{1}{5}$ ova 3. *Satum* 6. Cabos seu 1. et dimidium modium aut 144 ova continebat. 4 *Epha* tria sata seu 432. ova continebat. 5. *Letech* semi Corum seu 5. Ephas complectebatur. 6. *Homer* seu *Corus* mensura maxima, 10. Ephas seu 30. Sata aut seas continebat.

Notandum quotiescunque in vulgata occurrit *Metreta*, *Cadus*, *Congium*, ea inteligenda sunt de *Batho* aut *Epha*.

Moneta primo appendebatur, unde *Schekel* seu Siclus dicebatur. Poſtea signata numerabatur: Repræsentabatur autem in illa primitus agnus aut ovis, quia pro pecoribus numerabatur, unde nomenclatura pecuniæ derivatur, moneta vero erat *Argentea* et *Aurea*.

Inter *argenteam* erat 1. *Gera* seu *obolus*, erat 20. pars Sicli, quæ æquabat 3. crucigeros Germanicos, quia *Siclus argenteus* 20. geras continebat. Num 18. — 16. 2. *Rebha* quinta pars Sicli seu 5. grossos noſtros. 3. *Bela* Semisclum, quem quotannis in Sacros usus Exodi 30—13. pendere, et censûs loco Romanis Math: 22 — 17. debebant, facit 10. grossos noſtrates. 4. *Siclus* argenteus 4. drachmas Romanas seu Denarios continebat, æquat florenum Rhenanum.

Ergo 30. Siclis seu nummis Rhenanis Christus a Juda venditus est. Jn Siclis Samaritanis literis inscriptio erat ex una parte *Jerusalem Sancta*, in altera *Vas* mannâ refertum, *Ara Thymiamatum*, *Virga Aaronis* exprimebatur. 5. *Mina* seu Mna 60. Siclos continebat. 6. Talentum 50. minas seu 3000. Siclos æquabat.

Jnter *auream* monetam erat 1. *Siclus* valens 2. drachmas auri Romani. 2.. *Mina* aurea, 60. Siclos aureos æquans. 3. *Talentum* 100. minas seu 6000. siclos aureos. 4. *Darici* nummi sub *Dario Medo* cusi, idem pondus cum Siclis aureis, nempe duas drachmas habebant.

Ponderum eadem est ratio, ac monetæ. Nam Judæis Siclus, græcis Stater, erat pondus semiunciæ seu 4. drachmas, Mina appendebat 60. semiuncias.

§. 9.

Canones seu Regulæ Generales explicandæ Sacræ Scripturæ.

1. Tropus ac speciatim *Allegoria* non est fingenda, ubi non est, ut Cabbalistæ faciunt.

2. Oratio tropica, non est ad literam accipienda vg. Gen: 49—14. Jssachar asinus robustus.

3. Quilibet textus sensum literalem solummodo unicum habet.

4. Sensus literalis non aliunde, quam ex ipso textu per legitima subsidia *Hermeneuticæ* eſt eruendus.

5. Parabola, seu Apologus diſtingvendus eſt accuraté ab hiſtoria.

6. Multa in codice Hæbræo extant ex usu Vulgi desumpta adagia, vg. *erat validus venator, sicut Nemrod ante Deum.*

7. Spiritus S. in suis oraculis se accommodavit suo inſtrumento, unde orta eſt varietas Styli.

8. In explanatione textûs attendendum ad antecedentia, comitantia, et consequentia, Scribentis Personam, locum, tempus, scopum, occasionem, argumentum, subjectum.

9. Nulla explicatio admittenda, cui aliquid ex adjunctis repugnat.

10. Enuntiationes optantis et imperantis, à disertè affirmantibus et negantibus diſtinguendæ sunt.

11. Tale eſt subjectum, quale admittitur a suo attributo, et vicissim; vg. omne jumentum, omne repens, intrârunt in arcam Gen: 7—14. intellige juxta genus suum.

12. Dictio Categorematica, sæpe syncategorematicè sumitur, vg. homo pro quivis.

13. Propositiones hypotheticæ ab absolutis secernendæ sunt.

14. Hypothetica propositio conditione impossibili constans tantum valet, ac simplex negans, vg. Gen: 13—16. Quod si poterit quis terræ pulverem dinumerare, etiam semen tuum dinumerare poterit.

15. *Antilogiæ* dijudicandæ sunt juxta veræ oppositionis leges, an referuntur eidem? secundum idem? et eodem tempore? vg. Gen. 17. — 11. de fœdere circumcisionis, ad vetus Testamentum. Jerem 30. —31. de fœdere inter domum Juda et Jsrael ad novum Testamentum referenda sunt,

CURSUS

CURSUS SECUNDUS

AUT

SECTIO II.

De Libris novi Testamenti.

PARS IV.

§. 1.

Qualitas Linguæ Novi Testamenti et Stylus.

Exceptô Evangeliô S. Mathæi, et fortè Epistolâ S. Pauli ad Hebræos, novum Testamentum juxtà constantem et unanimem eruditorum sententiam græce scriptum est. Apostoli quidem et Evangelistæ natu erant Judæi, plerique tamen è Galilæa oriundi, ubi promiscué cum Græcis habitantes, græcam linguam addiscere potuerunt. Non videtur igitur linguæ græcæ peritia repetenda a miraculo Apostolis die Pentecostes concessô, quia non potest probari, donum linguarum illis perpetuô adfuisse, imò contrarium videtur ex Actibus Apostolorum (o).

(o) 14—10.

Etiam Evangelium S. Marci et Epiſtola S. Pauli in gratiam Romanorum non latinè, sed græce scripta sunt. Nam S. Paulus civis Tarsensis latinam lingvam usu discere non potuit, quia ne unam quidem Jtaliæ Provinciam peragravit. Deinde exjudæi ad quos præfatum Evangelum et Epiſtola scripta sunt, græcam tantum non latinam lingvam calluerant, quia commercii causâ tantum Romam commigrarunt. Paulus igitur et Marcus eò magis græcè debuerant Romanis scribere, quo rarior usus latini idiomatis erat apud ipsos, teſte *Juvenali* Satyra 6ta: *Omnia græce, cum sit turpe magis noſtris nescire latine.*

Evangelium tamen S. Mathæi hebraice aut potius Syro-chaldaice scriptum teſtantur *Jrenæus*, *Origenes* et *Hieronymus*, qui illud vidit, et in latinum idioma transtulit. Hæc tamen Versio et Archetypus deperiit, et Hebræus textus S. Mathæi cum Versione latina Basileæ editus 1557. non eſt originarius, sed rabinicus. Quod spectat Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, licet pro et contra græcam editionem hinc et inde gravia proferantur momenta, videtur tamen certius juxta *Clementem*Alexand: *Eusebium*, *Hieronymum* propter ſtyli varietatem *ab Hebræo hebraice scriptam eſse ad Hebræos*, non Helleniſtas seu Græcizantes.

Stylus, quò Scriptores novi Teftamenti scripserunt *Origene* tefte, non ex præceptis grammaticorum, aut rhetorum, sed ad capacitatem plebis accommodatus, erat incultus, quia Judæi a ftudio linguæ græcæ tanquam a re profana et improbâ abhorrebant (q). Jnterim pro ratione illorum temporum occurrunt in N. T. Syriasmi Mat: 16—29. *non guftabunt mortem*; Arabismi Mat: 12. 36. *otiosa* pro mendacibus posita sunt. Latinismi Mat: 25 — 16. *talentum*, quia Græcia et totus Oriens Romani juris facti erant.

§. 2.

De Autographis Apographis.

Autographa librorum N. T. in Ecclesiis Apoftolorum injuriâ temporum non socordiâ Ecclesiarum' periêre. Jnterim fida supersunt Apographa, quorum *Michaelis* recenset 283. de quibus hæc notanda sunt.

1. Nullum codicem antiquiorem esse Sœculo VI. aut ad summum V. et hi antquissimi codices membranacei sunt, majoribus, simplicibus, inornatis literis scripti, dum contra pofteriores Sœculo IX. chartacei et ornatis literis scripti sint.

(q) *Joseph Archæologia* 20.

2. Jn vetustissimis codicibus prima et ultima tantum, interdum et media litera pro integra voce ponitur.

3. Jnter antiquissimos codices numeratur *Vaticanus* numero 129. signatus, sed ex Jtala Versione interpolatus fertur, *Parisiensis* cujus literæ spongiâ deletæ difficile leguntur, *Cartabrigiensis* græcolatinus, qui tantum Evangelia et Actus Apostolorum continet. Quoniam igitur juxta varietatem codicum variantes Editiones et lectiones N. T. tum ex incuria descriptorum, tum eorum ingenio ac studio adornatæ sunt, idcirco ad eruendum genuinum textum ex variantibus codicibus sequentes traduntur Regulæ.

1. Authoritas versionis non raro cedere debet authoritati codicis, si illa non hic corrupta probetur. Quare nemo ex latina versione græcum textum corrigere potest, sed græcus non corruptus, latinum corruptum corrigit.

2. Jnter duas variantes lectiones, quarum altera apparentem difficultatem, altera vero facilem textum habet, prior posteriori præferenda est, quia non est verosimile, descriptorem mutasse facilem sensum in absurdum, sic licet 1. Cor 15—51. vulgatus habeat *omnes quidem resurgemus*, legendum ex græco *omnes quidem non dormiemus*, et

concordat cum 1. Thes. 4 — 17. *qui relinquimur.*

3. Lectiones Patrum non sunt præferendœ lectionibus codicum, quia non rarò memoriter citarunt, et neglectis verbis sententiam tantum spectarunt, ut ait *Hier: Distinguenda sunt loca, ubi quis docet, ab iis in quibus quis disputat, quia loca ubi disputamus, non stringunt.*

4. Lectiones græcorum Patrum præponderant latinis, quia hi versionem tantum, illi textum originarium citant.

§. 3.

De Versionibus.

Prima et antiquissima Versio est *Syriaca*, licet ab Apostolo aut viro apostolico concinnata non sit. Desideratur in illa 2da *Petri*, 2. et 3tia *Joannis*, necnon *Judœ*, et Apocalypsis S. *Joannis*, fortè ideo, quia nondum erant in Canonem relatæ. Melito 170 Annô narrat. Vetus Testamentum in Syria vernaculâ linguâ lectum fuisse. Edita est hæc Versio in Europa prima vice Vindobonæ 1555. majoremque usum criticum habet, quam aliæ ex græco factæ versiones.

Arabicœ versiones novi Testamenti ex græco Syriaco aut coptico factæ sunt, sunt-

que omnes. *Mahomede* juniores. Criticum usum non habent istæ versiones, nisi fortè ex græco, prout illa orhodoxorum Melchitarum, qui in sacris publicis græcâ linguâ utuntur. Optima habetur arabica Editio, quæ in una columna copticam, in altera arabicam habet versionem, et Lugduni Batavorum 1616. prodiit.

Gothica Versio ex græco ab *Uphila* Gothorum Episcopo Ariano Sæculo IV. facta est. Codex hujus Versionis ar enteis literis in membrana violaceï coloris scriptus 1648 inventus, Dordraci a Francisco Junio 1665. editus fuit.

Ægyptiaca aut *Coptica* Versio æquipollentes sunt voces, solâ tantum pronuntiatione distinctæ, quia idioma ægyptiacum ex græco et antiquo ægyptiaco conflatum est, et hodiedum in sacris publicis adhibetur, licet illud hodierni Ægyptii non intelligant. Videtur hæc Versio Sæculo V. non esse antiquior, edita est 1716. a Wilkinsio Borusso Oxonii.

Latinæ Versiones tres præcipuæ memorantur, I. *Jtala* quæ etiam communis vocabatur, qua de in Hermeneutica V. T. dictum est, quando et quomodo adornata. Quia verò præfata Versio operâ descriptorum vitiosor evasit, ideo Hieronymus hortatu Damasi Papæ emendationem ejus suscepit. Ex hac Hieronymi ex Jtalica seu

comuni Versione coaluit illa, quam nunc *Vulgatam* appellamus, licet non conftet, utrum totum novum Teftamentum verterit, an tantum emendaverit. Jn veteri Teftamento nihil de Versione Hieronymi reperiri dictum eft supra. Editiones hujus Vulgatæ ad veterrimos libros correctæ, sunt *Stephaniani* 1540. Clara deinde eft editio *Sixtina* 1590 quæ vix lucem aspexit, moxque suppressa nequè recusa fuit. Excepit illam 1592. Clementina, quæ proprie vulgatum textum continet. Hæc discordia Summorum Pontificum occasio fuit editi libri *Concordia discors, Sixti V. et Clementis VIII. Londini* 1600 Nemo ergo quærat Versionem *Hieronymi* in Vulgata, quia hanc duo doctissimi Benedictini *Marianæus* et *Pougeitus* a se edi professi sunt sub titulo *Eusebii Hieronymi divina Bibliotheca hactenus inedita, Parisiis* 1693.

Polonica Versio ex vulgato textu a Jacobo Wuyek Societatis Jesu Theologo hebrææ et græcæ linguœ gnaro 1599. facta. Cracoviæ impressa fuit. Habet hæc Versio optimas notas ad marginem vel poft quodvis caput, ad illustrandum textum appositas, fuitque a Primate Regni *Karnkowscio* approbata. Hæc igitur eft unica Versio, quæ reprobatis cœteris ab heræticis editis, etiam

cum scitu Apoftolicæ sedis in Polonia suscepta eft.

§. 4.

De Tropis seu impropria locutione.

Auctà rerum copiâ Tropi excogitati sunt. Maximè verò dum de Deo, anima et rebus incorporeis loquimur, vocabula a rebus sensibilibus sumere cogimur. Nam quando verba id significant, ad quod significandum inventa sunt, tunc habetur sensus proprius et literalis. Dum verò propter similitudinem aut connexionem ad aliud transferuntur, tunc sensus habetur improprius aut tropicus.

Tropus a similitudine vocatur *Metaphora*. Sic Mat. 16—18. habetur metaphora ab architectura. Act. 26—14. a bobus arantibus, qui in ftimulum recalcitrantes se pungunt. Petri 2—9. calamitates igni et incendio comparantur. Mat 24—29 ftatus peccatoris somno aut morti, conversio, ejus novæ vitæ, Regnum cœlorum convivio, infernus igni et tenebris comparatur.

Quando externæ rerum conjunctiones per integram sententiam continuantur, tunc eft continua metaphora seu *Allegoria*, vg. Mat. 15—13. plantatio Pharisæorum *quam Pater non plantavit.* Rom. 11—19. *ramus insertus olivæ.*

Sinecdoche est, dum ob conjunctionem rerum internam verba ab una re ad aliam transferuntur, quod fit 1mo, cum *totum pro parte* sumitur Lucæ 2 — 2. descriptio universi orbis à præside Syriæ; 2do *pars pro toto* Mat 12. — 40. *filius hominis tribus diebus* non integris *fuit in corde terræ*; Lucæ 18 — 11. Sabathum pro hebdomada; Ephes 6 — 12. caro et sanguis pro toto homine ponitur. 3tio *genus pro specie* Mat. 6 — 26. *volatilia* aliqua *non colligunt*. 4to. *species pro genere* Jacobi 1 — 27. *visitare pupillos et viduas*, indigentes intellige.

Metonymia quando ex conjunctis unum ponitur pro alio vg, *causa pro effectu* 1. Thes 5 — 19, *Spiritum* nempe ejus dona *nolite extinguere*. *Effectus pro causa* Jacobi 1 — 3. patientia vocatur *probatio fidei*. *Subjectum pro adjuncto* Ephes 4. — 24. non hominis substantia sed ejus qualitates corruptæ sunt. *Adjunctum pro re ipsa* Act: 27. — 9. jejunium pro maximo Septembris jejunio Judæorum sumitur, quod jam præteriit. *Abstractum pro concreto* Gal 2 — 12 *cum venissent* Judæi *subtrahebat se*. *Continens pro contento* Joan 3 — 2 *Potestatem dedit Pater Filio judicium facere*. *Signum pro re signata* Philip. 2 — 10 *genu flectere* pro adorare ponitur.

Ironia eft, dum vox contraria ponitur illi, quæ intelligi debet Marei 7—9. *Bene irritum feciftis mandatum Dei propter traditiones veftras.* Quando vero Ironia eft amarulenta, tunc vocatur *Sarcasmus* Marci 15.—29. *Vah qui deftruis templum Dei.* Durior Tropus vocatur *Catachresis*, Joan 5 13. *Cæcus nesciebat, quis esset Jesus, Jacobi* 5—3. *aurum æruginavit.*

§. 5.

Regulæ secernendi sensum proprium a tropico.

1. A literali sensu tunc tantum recedendum eft, dum continet aliquid absurdi, quia Revelatio non poteft cum ratione pugnare, vg. Mat. 18. — 8. *Si pes tuus scandalisat te, abscinde eum.*

2. Prophetiæ poeticè et inpropriè accipiendæ sunt, sic interitus reipublicæ judaicæ de ultimo judicio explanandus eft.

3. Quando subjectum et prædicatum heterogenea sunt, tunc impropria non literalis eft significatio, Joan 3. —8. vento voluntas, 1. Cor 13—12. Deo facies tribuitur impropriè.

4. Jn dogmaticis, factis hiftoricis propria significatio retinenda eft. Sic licet ver-

bum *est* idem sit sæpe ac significat, propriè tamen accipiendum est, ubi de Eucharistia agitur.

5. Ad dignoscendum proprium et improprium sensum loca similia conferri debent, vg. Heb 9. 20. sanguis propriè sumitur, ergo et M . 26—28.

6. Epitheta aliquando propriè aliquando impropriè sumenda sunt, sic Joan 3.—18. Christus propriè vocatur filius Dei. Christiani autem impropriè per fidem Gal: 3. —26.

7. Sacri Scriptores tropicis vocibus proprias tropicas explicandi causâ subjungunt, vg. Coloss 2—7. ambulate in Christo radicati et superædificati.

8. Sensus proprius sive improprius semper est tantum unicus, quia alias quodlibet ex quovis textu exsculpi potest.

9. Aliquando tamen Sacri Scriptores per accommodationem textum diversimode intelligunt. Sic Jsaiæ 53.—4. *ipse infirmitates nostras accepit*, S. Mathæus de corporalibus ægrotationibus, S. Petrus vero 2. — 24. de morbis animi intelligit et explanat.

§. 6.

De Symoblis et Allegoriis.

Per symbolum non verba, sed res intelligenda eſt, quia res prefigurans typus vocatur Rom 5—15. Adam fuit symbolum aut typus Christi, præfigurata verò res antytypus dicitur 1. Petr 3 — 21. Baptisma erat antitypus circumcisionis. Typus tamen aliquando contrariô sensu sumitur Hebr 9—24. ubi tabernaculum manufactum vero exemplari nempe cœlo comparari non posse dicitur. Dari typos et symbola futurorum authoritate Pauli ad Hebr 9.—8 et ipsius Chriſti verbis Lucæ 24—44. comprobatur. *Neceſse* ait, *impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysis, Prophetis et Psalmis de me.* Hæc verò nonnisi de symbolis et typis veluti de agno paschali Joan 19 — 36. de serpente exaltato Joan 3 — 4. de Jona in ventre ceti Mat. 12 —40. quæ seriem vitæ et mortis Chriſti exhibebant, intelligenda sunt, quia admodum pauca sunt in Pentateucho, quæ sensu literali Messiæ aptantur.

Jnterea vix excusantur quidam ex SS. PP. qui absque causa contortas Allegorias fingunt, vg. Myſterium Trinitatis ex numero 72. discipulorum explicare volentes. *Sicut* 24. *horis ait* quidam *totus orbis pe-*

ragitur, *ita myſterium Trinitatis 72. discipulis intimatur, nam 24. ter in 72. ponimus.* Et S. Gregorius assignat causam, cur Regnum cœlorum decem virginibus comparatur, ait. *In quinque corporis sensibus unusquisque subsiſtit, geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, Ecclesia decem virginibus similis eſse denuntiatur.* Mitius tamen de S. *Hieronymo* sentiendum eſt, qui inscitiam et sensûs literalis difficultatem, fatetur esse matrem Allegoriarum, veniamque precatur in Præfatione ad *Abdiam*, quod juvenis adhuc *allegorice interpretatus sit Abdiam, cujus hiſtoriam ignorabat.* Aggregatio enim Typorum et Allegoriarum ansam dedit *Woolſtonio*, detorquendi miracula Chriſti ad allegorias Origene duce, et *Thomæ Bunetio* in Archæologia Philosophica explicandi Genesim myſticè non ad literam. A noſtris Teologis sensus myſticus dividitur in *allegoricum*, qui docet quid credendum; *tropologicum*, qui aliquid agendum innuit; *anagogicum* qui quod sperandum sit insinuat, sed nescio, qua de causâ, quo fine, quô successu? Deprehenditur quidem iſthæc divisio in scriptis SS. PP. Sæculi II. applicatio tamen sensûs literalis ad res credendas,

sperandas, agendas cum ipso sensu tot distinctionibus confunditur, adeoque videtur sufficere duplex Scripturæ sacræ sensus, *myſticus* et *literalis*, sive fidem aut spem, vel etiam charitatem spectet,

§. 7.

Regulæ conciliandi apparentes contradictiones.

1. Si discordia inter verba intercedit, hæc librariis, translatoribus, aut ipsis Authoribus magnam illorum rationem non penderantibus eſt adscribenda. Sic Psalm 1 5 *non resurgent impii in judicio*, pugnare videtur cum 2. Cor 5 — 10. *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*. Sed tollitur disco dia, si locò *resurgen* ponis non attollent caput.

2. Diversitas non eſt contradictio. Sic S. Mathæus narrans unum colloquium Chriſti cum suis discipulis poſt Resurrectionem non contradicit S. Joanni plura narranti. Esset veró contradictio, si S. Mathæus unum tantun colloquium habitum fuisse a Chriſto scriberet. Eodem modo componitur S. Mathæus, qui discipulos, cum S. Joanne qui unum ex discipulis indignatum fuisse de perditione unguenti scribit.

3. Apparens contradictio tollitur, si scriptura ex aliis locis notis suppletur. vg. Joan 6—54. *qui manducat meam carnem, habet vitam æternam* digne; item 1. Cor 1. 17. Negat S. Paulus se ad baptisandum missum, nempe primario.

4. Si unus locus literaliter, alter tropicè intelligitur, tunc evanescit contradictio. S. Joannes 4.—24 dicens *Deus spiritus est*, non contradicit S. Lucæ 1.—51. *fecit potentiam in brachio suo*, quia hic tropicè, ille vero proprié de Deo loquitur.

5. Canonici Scriptores non semper suam, sed aliorum sententiam expresserunt, vg. Mat. 4—24. sic S Hieronymus explicat, *Non veré erant lunatici, sed putabantur ob dæmonum fallaciam.* Eodem modo explana 1. Cor 1. — 25. *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*.

6. Ad tollendam ambiguitatem attendendus est usus loquendi. Si vg. Christus ignorat diem judicii Marci 13—32 spectatur ut legatus, qui a Patre hoc in mandatis non habuit. Sic etiam odisse significat minus diligere Patrem et matrem Lucæ 14—26.

7. Res diversæ non pro iisdem habendæ sunt, sic Mat. 15—32. aliud miraculum de saturatione hominum describitur,

quam Joan 6 9. Et S. Math: 26, 15. de numeratione pecuniæ, et Marci 14—11. de pactione intelligendus eft.

8. Discrepantia quoad Genealogiam Chrifti inter S. Mathæum et Lucam conciliatur, si Jacob naturalis, Heli vero legalis Joseph Pater intelligatur.

9. Propter varietatem circumftantiæ, non eft multiplicanda hiftoria. Joan 12—3. Magdalena *pedes Jesu unxit.* Mat. 26. 7. *caput unxit.* Fuit una eademque unctio.

10. Diftingue tempora ait *Auguftinus*, et concordabit scriptura. Joan 11 — 2. Chriftus in convivio unctus fuit a Maria sorore Lazari, quæ juxta Lucæ 7 — 37. *peccatrix*, Lucæ 10 — 39. pietatis nomine laudatur, non inde sequitur diversas, sed unam eandemque diversis temporibus fœminam fuisse. Vide *Calmet dissert de 3. Mariis.*

11. Ad evitandam discrepantiam sacrorum Scriptorum quædam præcepta ad tempus tantum data admittenda sunt, vg. Mat. 10—5. *In viam gentium ne abieritis, intrantes dicite, Pax huic domui* Luc: 10 4. *Neminem per viam salutaueritis* 1. Cor 11—14. *decet mulierem non velatam orare?*

12 Si duo textus non possunt conciliari, alteruter corruptus est. Sic ex Alexandrina Versione à quodam sciolo in Evaneglium S. Lucæ 3 — 36 post *Arphaxad Cainan* intrusus est, quia apud *Josephum*, *Philonem*, in hebraicis et chaldaicis Bibliis *Cainan* omittitur, et Genesis 10 et 11 post *Arphaxad* immediate sequitur *Sale*, non *Cainan*.

§. 8

De conciliandis profanis Scriptoribus cum sacris et eorum usu

Non sunt contemnendi profani Scriptores, sacris non concordes, dicendo vg. quid valet *Josephus*, *Philo* ad inspiratos sacros Authores? Hoc foret nodum potius secare, quam solvere. Exemplum desumatur à S. Luca narrante 2 — 2 Christum natum tempore census acti a *Quirinio* Syriæ Præside. Josephus vero in Archæologiæ libro 18 cap. 1 narrat, *Publium Sulpicium Quirinum* Syriæ præfuisse Archelao in exilium pulso. Sed dissensus tollitur, si juxta græcum legatur *hæc descriptio prius facta est, quam esset Quirinius Præses Syriæ*: Nam census Quirinii propter excitatos tumultus scribente Luca in recenti erat memoria.

Si quis objiceret, nullum esse apud profanos Scriptores vestigium census universa-

lis, tunc respondendum, per orbem in græco non semper totum mundum, sed aliquando Provinciam, aut Jmperium Romanum intelligendum esse, vg Act 11 — 28 fames ab Agabo prædicta in universo orbe sub Claudio

Neque obstat, quod *Iosephus* de infanticidio nihil referat, quia potuit hoc occultum factum ignorare, cum juxta computum *Michaelis*, in Bethleem et omnibus finibus ejus vix 20 occisi sint.

Tantum abest, ut profani Scriptores spernantur, ut potius ad intelligendum bene divinum textum legantur. Quis enim intelliget parabolam Lucæ 19 — 12 de homine regnum sibi acquirere volente, si nesciat ex *Cicerone* Romanos populis Reges dedisse (r)? quis scit, calceos esse arma quibus S. Paulus instructum esse vult Christianum Ephes 6.— 15. nisi ex Thucidide (s) quis plura unius navis gubernacula intelligeret Act 27—40, nisi ex Aeliano? (t) quis Hebr: 9—20 sangvinis testamentum intelliget, nisi ex Jliade resciat, priscum orbem foedera morte animalium aut effuso sangvine consecrasse (w)? Imo ex Mythologia non pauca loca sacræ scripturæ lucem accipiunt. sic Act 16 16 *Ancilla habens spiritum Pythonis*, signi-

---

(*r*) *Epist:* 15 (*s*) *lib* 2 *cap* 22 (*t*) *lib* 9 *cap* 4 (*w*) *versu* 301.

ficat spiritu Apollinis afflatam, quia Python eſt epitheton Apollinis, qui petentibus responsa dabat: Item: 28.—11. occurrit *Castor* et *Pollux* et cætera hujusmodi.

§. 9.

De Collatione antecedentium et consequentium.

Theologi et Concionatores non raro ex sacra Scriptura versum vellunt, et ad qualemcunque eum dogmatibus suis connexionem arripiunt, ut nulla tam improba hypothesis sit, quæ raptis ex scriptura verbis comprobari non poſsit. Sic quidam ex S. Paulo ad Titum 3—10 *hæreticum hominem devita* intulit, hæreticum supplicio capitis tollendum esse; et Rom 1—8 invito contextu Romanam Ecclesiam cæterarum matrem eſse; ex textu Mat 25—8 *date nobis de oleo vestro*, colligunt abundantiam meritorum SS. non respicientes sequentem versum sibi contrarium eſse, *ne forte non sufficiat nobis et vobis*. Antecedentia igitur cum consequentibus conferenda sunt, vg ad Heb 10—36 *Voluntarie peccantibus non relinquitur pro peccato hoſtia.* Hic textus non de quovis peccato, sed de Apoſtasia a fide intelligendus eſt, quia unicum pro peccato sacrificium respuit, confer cap 6—4 et 6. Item 2 Cor: 3—5 *non sumus sufficientes cogitare ali-*

quid a nobis, quasi ex nobis, non de gratia omnibus ad salutem necessaria intelligendum, sed de gratia ad benè obeundum munus Apostolatus, sicut sequens versus *6tus* innuit, *qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti*: Rom 9—18 reiectio Iudæorum videtur enarrata sine causa, cap 10—3 causa tamen ostenditur.

Noscat Hermeneuta in *refractionibus* seu *reciprocationibus* unam vocem aliter ac aliter sumi debere; vg. Mat 8—22. *Sine mortuos sepelire mortuos suos*; et 2 Cor. 5—21 *eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Neque patiatur sibi divisione et distinctione capitum et v rsuum legem imponi, quia sæpe ineptissima est, cum cohærentia divulsa, et conjuncta secta sint.

§. 10.

De Emphasibus et Parallelismo.

Per *emphasim* non intelliguntur voces significantes rem sublimem, quia *Deus Rex Sol* emphasim seu rem magnam continerent, neque tropica locutio est emphasis, vg. flagrare cupiditate seu ardenter velle, neque quando ad augendam significationem adduntur adjectiva aut cognata sicut Heb: 6—14 *benedicens benidicam*, sed intelligitur auctarium quoddam, quod ad ordinariam vocis significa-

tionem additur, vel ex *affectu dicentis*, ut Rom 1—8 ubi communem omnium Deum, suum Deum nominat, vel ex *gravitate rei* Lucæ 4—22. ubi de admiratione *in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore Jesu.* Hujusmodi emphasis vocatur *temporaria.* Dum veró verbum a consvetudine maiorem accipit significationem, quam per se habet, tunc *emphasis constans* dicitur, ut Apoca. 1—4 ab eo qui *est.* Aliqui addunt emphasim *realem*, ut Gene. 1—3 *fiat lux.*

Parallelismus est, dum locus obscurus ex clariore, dubius ex certo, scriptura ex scriptura non ex Theologiâ illustratur. Si Theologis libuisset Parallelismo uti, non essent delapsi ad ineptias, nec frivole distinxissent inter agnos et oves, si Joan 21—15 contulissent cum Mat. 10—16. Nec vocem Sacramenti ad Ephes 5—32 stricte sumpsissent ad stabiliendam de Matrimonio veram sententiam, si eam contulissent cum Coloss: 1—27 et cum 1 Timoth 3—16. ubi non de Sacramento proprio sermo est, sed de re aut symbolo sacro. Est vero *Parallelismus* duplex.

1mo *Verbalis*, quando verba aut phrases rebus etiam diversis eandem habent significationem; sic *videre* significat etiam de interno homine seu sensu, Rom 7—32 confer Mat. 24—30. Item claves dare, denotat

poteſtatem tribuere, Mat. 16—19 confer Jsaiæ 22—22 Compellere non semper significat coactionem vi, poenis, sed precibus importunis, vg. Lucæ 14—23 *compelle intrare*, confer cum Lucæ 24—29 *coegerunt illum.*

2do Realis quando loca Scripturæ sacræ comparantur, quibus de eodem obiter aut ex professo tractatur. Sic bene intelligetur, quomodo Chriſtus sit caput omnis principatus et plenitudo Ecclesiæ, si conferas Ephes 1—23 cum Colos: 2—10. Item quid *per abomi nationem desolationis* intelligatur literaliter, si Mat. 24—15 conferas cum Lucæ 21—20. ubi aït, *cum videritis circumdari Jerusalem ab exercitu, tum scitote, quia appropinquavit desolatio ejus.* Nam in Romanorum signis erant Jmagines Cæsarum divorum, quæ in conspectu templi latriæ expositæ erant, adeoque Judæis abominationi erant.

Poteſt etiam et debet novum Testamentum cum veteri conferri, quia Mosaïca et Chriſtiana Religio una eademque eſt quoad substantiam, unum eundemque habet Auctorem. Unde ait *Auguſtinus* (x), *novum Testamentum in veteri latet, et vetus in novo patet.* Namque hiſtoria uxo-

---

(x) *quæst. in Exod* 23.

ris Lothi Lucæ 17—31 Mannæ Joan 6 49. Melchisedechi Heb 7—1. Baalami 2 Petr 2—16. Qualitas Messiæ Jsaiæ 53 cum Mat. 26—28 concorditer describitur. Messias non est prædictus ut Rex mundanus, sed ut salvator generis humani. Judæi tamen a Romanis pressi bellicosum et formidabilem præstolabantur Messiam. Hæcque opinio de mundano Christi regno animos Apostolorum occupavit, et nonnisi Spiritu S. edocti eam abjecere.

§. 11.

De Analogia fidei, Antithesi Epexegesi.

Quæ claré in Scriptura continentur, sunt cæterorum norma seu regula fidei, ad quam ceu ad Lydium lapidem omnia examinanda et ponderanda sunt, uti docet *Augustinus* (y), *cum incertum sit, quomodo distinguendum aut pronuntiandum, consulat regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, et Ecclesiæ authoritate percepit*, vg. Heb 5—8 dicitur Christum unico sacrificio mortis suæ omnia peccata expiasse, ut ergo juxta normam fidei Colos. 1 24 explanes, nón debes inferre, ejus afflictiones ad condignam satisfactionem insuf-

---

(y) *de doctr. Xtiana lib 3 cap 2.*

ficientes fuisse. Ad anologiam fidei pertinent tantum res credendæ aut agendæ, non historicæ, vg. si ex Lucæ 23—51 inferatur *Arimathœam* non Samaritanorum, sed Judææ civitatem esse, licet ob situm quis Samaritanorum civitatem existimare posset, tunc non analogia fidei, sed *parallelismus* adhibetur *realis*, concordatque cum Math: 11—28. *Cavendum tamen*, ne conformiter ad fidem ex sacra scriptura ea exsculpas, quæ ibi expressa non sunt. Sic male cum S. *Ambrosio* divinitatem Spiritus S. ex Philip 3—3 *spiritu servimus Deo* erueres, quia scopus et contextus obstat.

Antithesis est determinatio vocis ex diversis oppositis, quæ ex usu et contextu habetur, sic vox *Græcus* Judœo opposita, significat paganum Rom 1.—16. si vero barbaro opponatur, tunc significat hominem excultum scientia et politum. Sic Mat versus 34. opponi videtur 26 cap 24. sed prior de excidio, secundus de judicio intelligendus est.

Epexegesis est declaratio sermonis ex mente authoris, sic Mat 5. 44. explanatur, quid sit diligere inimicos, nempe *orare, benefacere* 2. Cor 12.—2. quid per tertium cælum intelligatur, nempè *paradisus* versu 3. Genitivus sæpe est exegeticus seu declaratorius, sic Joan. 2. — 21. de *templo cor-*

poris sui: Cor. 5. — 8. *fermentum malitiæ* Quando scriptores sacri aggregant synomina, vg. Joan. 1. — 20 et *confeſsus eſt, non negavit, et confeſsus eſt,* tunc validius id animis suorum Lectorum infigere volunt, Rom 9. — 1 *veritatem dico,* non mentior.

§. 12.

De adjunctis exegeticis.

Adjuncta exegetica sunt circumstantiæ hiſtoricæ, quis, quid, quô locô, et tempore, quove consiliô dicatur, et an ex ſua aut aliena sententia hoc fiat. Si enim scis S. Paulum ante vocationem Pharisæum fuisse, non miraberis profecto, eum allegoriis inhærere, quod non fecisset, si de Secta Saducæorum fuisset, qui reiectô mysticô sensu literalem tantum admittebant. Si iterum singularem ejus prudentiam consideres, nimis duram invenies vocem juxta vulgatam Act. 17. — 22. qua Athenienses *superſtitiosos* vocat. Mat 15. — 26. *non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* ex Judæorum non Christi sententia dicta sunt. Rom. 7. — 9. *ego vivebam aliquando sine lege,* non de lege Moysis intelligenda sunt, quia Judæus fuit, sed de lege concupiscentiæ, quam ignorabat dominari homini. Quando S. Lucas refert Stephanum narrantem

quæ cum historia Moysis non conciliantur, culpa non in Lucam, sed Stephanum cadit. Hæreditate possidere terram Mat. 5. — 4. erat apud Judæos signum summæ prosperitatis, uti constat Psalm. 36. — 29. adeoque conformiter ad Judæos dicta sunt. Judæi ignotas rerum causas derivabant a dæmonibus; ut melancholiam 1. Reg. 16. — 14 et 23. Sic apud S. Mat. 11. — 18. Joanem non manducantem et bibentem dæmonium habere dicunt. Epilepsiam Marci. 9. — 16. rabiem Marci. 16. — 9, dæmonio adscribebant. Unde ægrotum sanare, sæpe apud Judæos erat dæmonium ejicere.

§. 13.

De Jdiotismo, Articulo præpositivo, Pronomine.

Vulgatus interpres nesciens idiotismum græcum, sic vertit Heb. 13. — 2. *quidam latuerunt angelis hospitio receptis*; Obscure et male. Nam vertendum, *quidam nescientes hospitio receperunt angelos.* Jn græco ad ostendendam vim pluralis numerus pro singulari ponitur, adeoque vulgatus ad verba vertit Joan 7. — 49. *turba, quæ non novit legem, maledicti sunt.* Juxta idiotismum 1. Cor. 11. — 6. non legendum *tondeatur* sed *tondeat se*; Lucæ. 5. 6. non *ruptum*,

sed *cœpit rumpi.* Sic videre aut guſtare mortem, pro experiri positum eſt. Joan 20. 22 *Accipite spiritum* S intelligendo don. q ia prim tias Spiritus S jam acceperant, 1 Cor 8. 1. *scientia inflat* sæpe, Lucæ 16. — 10. *qui fidelis eſt in modico, et in maiori fidelis erit* communiter. Induratio, error juxta idiotismum de permissione explananda sunt, vg. Rom. 1. — 26. *tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ.* Aliquando tamen induratio homini Act 19. — 9. aliquando diabolo Exodi 8. — 15. tribuitur. Interim licet Judæi ob incredulitatem indurati sint, non eſt illis tamen spes erepta Rom. 11. — 14. *ut ad æmulationem provocem carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex ipsis.*

Articulus præpositivus sæpe demonſtrative sumtur, vg. *omnes iſtæ generationes Mat.* 1. — 17. licet plures fuerunt. Joan 1. — 45. *quem scripsit Moyses in lege et Prophetis invenimus*, cum tamen sic scriptum ſit Deuto. 18. — 15. *Suscitabit tibi Deus ex fratribus Prophetam, sicut ego sum.* Quando subſtantivis additur articulus præpositionis, non semper is ſignificat certam et determinatam personam, Marci. 2. — 27. *et dicebat eis* Pharisæis vel discipulis.

Pronomina relativa demonſtrativa reciproca sæpe trajiciuntur, sic Philip. 3. — 21. non *suæ claritatis*, sed suo glorioso

corpori ponendum foret. Adbibetur tamen sæpe loco pronominis nomen, 1. Cor. 1. — 4. *gratias ago Deo meo pro gratia Dei*, loco *ejus*.

§. 14.

De Adverbiis, Præpositionibus et Conjunctionibus.

Adverbia *usque ad* non terminum, sed tractum temporis sæpe significant, Mat. 28. 20. *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* semper. Negativa adverbia sæpe comparative sumuntur, Joan. 6. — 27. *ne præparetis cibum, qui perit, sed cibum qui permanet in æternum*, potius hunc quam illum; Joan 12. — 44. *qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, non in me solum, sed etiam in Patrem. Adverbialiter ponitur etiam verbum finitum cum infinito, Lucæ. 20. — 11. *addidit mittere*, iterum misit. Etiam dum ponuntur duo ejusdem temporis verba, sumitur unum adverbialiter, Joan. 8. — 59. *occultavit se et exivit*, occulte exivit. Comparativum sæpe pro adverbio negativo ponitur, vg. 1. Petr. 3. — 17. *melius est* benefacientes *pati, quam malefacientes*, illud bonum non hoc, Lucæ. 18. — 14. *descendit hic justificatus magis quam ille*, non ille.

Præpositio sæpé repetitur eisdem vel diversis modis ad affectum demonstrandum, Rom. 3. — 22. *in omnes et super omnes qui credunt in eum.* Aliquando præpositio significat causam finalem, Joan. 2. — 6. non secundum, sed propter *purificationem Judæorum* legitur in græco. Subobscure etiam vulgatus exponit Act. 19. — 40. præpositiones. Nam legendum, periculum est, ne postulemur seditionis propter diem hodiernum, cum nulla causa subsit, ob quam possumus defendere concursum istum.

Conjunctiones inter duo substantiva posita sæpe redundant Act. 23. — 6. *de spe et resurrectione* ob spem resurrectionis mortuorum in judicium vocor: Mat. 4. — 16. *in umbra et regione* in umbrosa regione; Act. 14. — 13. *tauros et coronas*, coronatos tauros. *Disjunctivæ* Conjunctiones sæpe copulativé sumendæ sunt. 1. Cor. 15. — 11. *sive ego, sive illi sic prædicamus*, et ego et illi Et vicissim *copulativæ* disjunctive sumuntur, vg. Mat. 12 — 37. *ex verbis tuis justificaberis et condemnaberis*, intellige *aut*.

§. 15.

De Ellipsi, Enallage, Hypallage et Synthesi

Ellipsis tum eſt, quando aliquid supplendum eſt, vg. nomen, pronomen, participium, aut adverbium, et eſt figura frequentiſſima. Sic articulus ſupplendus eſt Joan. 5. — 36. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne*: Male, quia non comparatur teſtimonium Patris cum Joanne, sed cum teſtimonio Joannis; Legendum ergo: *Habeo teſtimonium majus quam illud Joannis*. Deeſt nomen Lucæ. 17. — 24. *sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea, quæ sub cœlo sunt*, ex græco sic vertendum eſt, *ſicut fulgur coruscat ex una regione, quæ sub cœlo eſt, in aliam quæ sub cœlo eſt*, seu ex una cæli plagâ in alteram. Desideratur verbum Mat. 10. — 23. *non consummabitis civitates Juda* obeundo seu peragrando, *donec veniat filius hominis*. Ellipsis præpositionis eſt. 1. Cor. 6. — 13. *eandem habete remunerationem* ad vicem rependendam. Ellipsis adverbii eſt Jacobi 2. — 10. *qui in uno offendit, factus est* quasi *omnium reus*.

Enallage eſt figura, qua pars orationis pro parte ponitur, aut permutatur, sic Heb. 7. — 7. neutrum pro masculino ponitur, *quod*

minus est a melióre benedicitur minor. Act vum pro passivo Joan. 12. 2 *fecerunt* pro parata. Posito activo posset quis credere, Christum a Maria et Martha convivio exceptum, quod pugnaret cum Mat. 26. — 6. erat enim in Bethania in domo Simonis leprosi, non Marthæ.

Hypallage est inversio, qua uni tribuitur, quod alteri tribuendum est. Sic 1 Cor 10 11 *Scripta sunt ad correptionem nostram, in, quos fines sæculorum devenerunt Judæi;* Male, *Scirpta sunt ad correption m nostram* qui in f nes sæculorum devenerimus.

Synthesis est figura, qua sensus magis respicitur, quam verba Joan. 17. — 2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei det eis vitam æternam.* Clarius ita reddendus foret, sicut illi potestatem dedisti super omnem carnem, ut omnibus, quos dedisti ei, det vitam æternam. Jtem. 2. Cor. 5.—19, Colos. 2.—19.

PARS. V.

De Libris novi Testamenti in specie.

§. 1.

S. Mathæus ejusque Evangelium.

S. Mathæus antea vocabatur Levi, non tamen oriundus erat ex stirpe Levi. Et licet fuerit publicanus, haud ideo tamen erat ethnicus, sed Judæus, æque ac ille, qui cum Pharisæo in templo orans describitur, quia Christus contra legem non manducasset cum paganis. Vocabatur etiam *Levi Alphæi*, quia juxta morem duo vel tria nomina habebant; Marci, 2. — 14. non ideo tamen erat frater *Jacobi* filii *Alphæi*, licet hoc quidam Græci admittant. Vocabatur autem Mathæus ad munus Apostolatus penes lacum *Genesareth* prope *Capharnaum*, et septimo loco inter Apostolos ponitur. Primus Jerosolymis Evangelium scripsit, teste *Jrenæo* et *Hieronymo*, sexto a morte Christi anno. Hujus Evangelii exemplar juxta *S. Athanasium S. Bartholomæus* detulit ad Jndos, et S. Jacobus Jerosolymis illud explanavit, S. Marcus vero illo in componendo suô Evangeliô usus est, licet versio utriusque in latinum, ex græco facta

sit.

sit. S. Matthæus prædicavit in Judæa, Macedonia, et juxta Martyrologium in Æthiopia inferiore seu antiqua, ubi eſt Nubia, ibique juxta Bolandistas mortuus eſt. Non prædicavit in Abyssinia, quia juxta Rufinum Sæculo IV. *Frumentius* ibi primus fidem Christi disseminavit. Genus Martyrii eſt quidem incertum, colitur tamen inter Martyres.

§. 2.

S. Marcus ejusque Evangelium.

Secundus poſt S. Matthæum Evangeliſta eſt *S. Marcus*, ex Tribu Levi ac genere Sacerdotali ortus in Lybia seu Pentapoli. Fuit Levita, et S. Barnabas ejus avunculus pariter ex gente Levitica, Act. 4.—36. confer cum Colos. 4—10. estque idem qui vocatur Act. 22.—12. *Joannes Marcus*, et cujus S. Paulus non semel meminit in suis Epiſtolis. Dicitur etiam filius Petri, quia ab eo baptisatus, ejus poſtea discipulus et interpres factus eſt. Precibus fratrum motus Romæ scripsit Evangelium, decimo ab obitu Chriſti anno, seu Æræ Vulgaris 40. sicut illud a S. Petro acceperat, et juxta Syro-chaldaicum textum S. Matthæi, adeoque eodem fere ordine ac S. Matthæus. S. Petrus ea de re edoctus, Evangelium probavit, illud-

que in Ecclesia legi permisit. Traiecit in Ægyptum, ibique Evangelium a se conscriptum prædicavit, et a S. Petro Alexandrinæ Ecclesiæ præfectus, consistentem ibi Ecclesiam exornavit, et innumeram hominum multitudinem teste *Hieronymo*, exemplö suô ad fidem allexit. Incertum quidem eſt mortis ejus genus, juxta Menelogia tamen Græcorum Martyr occubuit die 25. Aprilis.

§. 3.

S. Lucas ejusque Evangelium.

Tertium Evangelium scripsit S. Lucas, quem antiqui codices etiam Lucanum appellant. Fuit patria Antiochenus, non genere sed natione Judæus seu solo patre. Medicus et socius S. Pauli. Certius quod non fuerit ex numero 72. discipulorum, nec unus ex proficiscentibus in *Emmaus*, quia se Evangelium fatetur scribere ex traditione eorum, qui facta Jesu viderant. Hac vero de causa scripsit, ut temeritatem non nullorum Pseudo-Apoſtolorum retunderet, qui actiones Servatoris aliô modô enarrarunt, quam S. Paulus. Ejus Evangelium a S. Paulo approbatum fuit, eſt teste *Hieronymo* etiam Pauli Evangelium dicitur. Scriptum eſt anno æræ vulgaris. 52. in Achaja ante Epiſtolas Paulinianas, ibique mortuus eſt Martyr.

§. 4.

S. Joannes ejusque Evangelium.

S. Joannes filius *Zebedæi* et *Salome*, quæ mortuum Salvatorem unxerat, et frater *Jacobi* majoris e Galilæa oriundus, idiota et illiteratus Act. 4. — 13. vocabatur etiam filius tonitrui, vel quia clarissima voce æternum Dei filium in suo Evangelio exhibuit, vel ob zelum, quo ignem de cælo super civitatem Samaritanorum descendere voluit. Non fuit ille qui amictus sindone super nudo, tempore passionis aufugerat, nec ille notus Pontifici, licet hoc aliqui sine fundamento autument. Post Domini Ascensum cum Petro prædicavit in Judæa, Samaria, tandem in Asia multas erexit Ecclesias. Precibus omnium Asiæ Episcoporum, contra *Cerinthum* et *Ebionem* Christi divinitatem negantes ex insula Pathmos maris Ægæi, inter Græciam et Asiam posita redux, et admodum senex, publicô jejuniô prius indicto. Evangelium scripsit, anno æræ vulgaris. 96. S. Joannes tranquilla morte obiit, et teste Eusebio, in urbe Epheso conditus jacet.

§. 5.

De quibusdam partibus Evangelii Marci, Lucæ et Joannis.

Ultimum caput S. Marci tempore Hieronymi non erat tanquam canonicum ab omnibus receptum, saltem a versu nono, quia Manichæismum redoleret, aut quod cum cæteris Evangelistis conciliari non posset. Jn Evanglio S. Lucæ dubitabatur ab *Hilario* de sudore Chrifti, Apparitione Angeli, et confortatione. Jn Evangelio S. Joanis hiftoria adulteræ ab Eusebio tamquam parabola habita fuit. Sed sicut à Synagoga dependebat, libros ut sacros admittere, aut tanquam apocryphos reicere, sic eadem authoritas fuit et eft penes Ecclesiam, quæ assiftentem habens Spiritum S. in iis quæ ad fidem pertinent, fidelibus errorem obtrudere non poteft, nisi Deum Ecclesiæ deesse in necesariis admittamus. Non obftantibus enim quibusdam dubiis SS. PP. et difficultatibus quoad conciliandos aut explicandos quosdam textus, totum Marci, Lucæ et Joannis Evangelium a majori et saniore PP. et Conciliorum parte susceptum, et tanquam canonicum habitum fuit, uti Versiones græcæ, latinæ, Arabicæ, Syriacæ et Gothicæ demonftrant.

§. 6.

De Parabolis.

Parabola à fabula discernenda eft. Fabula narrat aliquid impossibile, aut quod in rerum natura non contingit, puta quod animalia, herbæ, arbores loquantur, aut ambulent. Parabola contrà desumitur a rebus communiter contigentibus, ut é notis ad incognita perveniamus, vocaturque similitudo. Salvator nofter passim a vulgatiffimis rebus parabolas assumpfit, ut a piscibus, palmitibus, semine, retibus, quia doctrinam suam maxime voluit esse vulgarem. Non solum juxta morem Palæftinorum adhibuit similitudines, sed etiam ad conciliandam auditorum attentionem, unde dixit, *qui habet aures audiendi, audiat*, necnon ut veritatem in parabola contentam clariorem redderet et profundius memoriæ imprimeret, veluti eft vivida Pharisæi in templo orantis descripta hypocrysis. Parabolæ sunt 1mo dogmaticæ, vg. de semine aut virtute verbi Dei; 2. morales ut de Samaritano; 3. hiftoricæ de magna coena; 4. dogmatico morales de debitore, 5. dogmatico hiftoricæ de ficu; 6 propheticæ de grano synapis de fatis et propagatione Ecclesiæ, et hæ non explicabantur a Salvatore, tum

quia ex ipso rerum eventu lucem erant acceptura, tum quia auditores ad interrogationes faciendas Salvator urgere intendebat.

Ut vere Ecclesiastes parabolam in prædicatione bene adaptet ad suam materiam, debet: 1mo ex usu loquendi scire scopum ejus, non quid hæc vox significet. 2. possibilitatem parabolæ monstrare, vg. quod mos erat dandæ vestis nuptialis invitatis, quod via Jerosolymitana in Jericho plena erat latronibus, Sacerdotibus, et Levitis. 3. explanata parabolâ invenire doctrinam contentam seu ut ajunt, *tertium comparationis* quod sæpe ex contextu colligitur, aliquando a Salvatore intimatur, vg. de semine, aliquando veró auditoribus adinveniendum relinquitur, ut de operariis vineæ; 4. Non omnes comparationis partes ad vivum prosequendæ, nec ultra Christi intentionem extendendæ sunt, quia multæ circumstantiæ ad decus adjectæ, nec Servator Mat: 13. — 5. de semine omnes partes prosecutus est. 5. Si in parabola plures Instructiones morales continentur, tunc minus principales a principalioribus secernendæ sunt. Sic ex parabola de filio prodigo multa de poenitentia, inobedientia erga parentes, ingratitudine, mala prolis educatione erui possunt, quæ tamen ob vitandam sermonis confusionem congerenda non sunt.

§. 7.

Actus Apostolorum et Apocalypsis.

S. Lucas præter Evangelium conscripsit *Acta Apostolorum*, quorum non testis tantum erat, sed et minister. Nam usque ad caput 16 primâ personâ numeri pluralis utitur; A capite vero 17. — 1. ex prima persona numeri pluralis, mutat stylum in tertiam pluralem usque ad 20. — 6. ubi cum S. Paulo per Macedoniam, Troadem Jerosolymam, Cæsaream et tandem Romam devectus fuit, ibique illi ministravit, uti patet 2. Timoth: 4. — 11. *Lucas est mecum solus*. Continet hic liber historiam 30. annorum.

S. Joannes præter Evangelium, relegatus a *Domitiano* in insulam Pathmos, scripsit Apocalypsim, eamque direxit ad Asiæ Ecclesias. Nominatur sæpe in prima persona, uti cap 7. *Ego Joannes vidi alterum Angelum* 22. — 8. *Ego Joannes qui audivi, et vidi hæc.* Multi quidem dubitarunt de divinitate et authentia libri hujus, sed multo plures eum ut divinum et canonicum etiam sub excommunicationis pœna suscipiendum censuêre, ut *Gelasius* in Concilio Romano. Continet obscura quædam vaticinia, sed continet eti-

am non pauca ad corrigendos mores, de constantia in persecutione, de vitandis hæreticis.

§. 8.

Epistolæ Paulinianæ

S. Paulus scripsit Epistolam *ad Romanos* anno æræ vulgaris 57. de operibus legis et justitiæ, cum Jerosolymam ad deferendas eleemosynas in Achaja collectas proficisceretur. Epistola hæc posterior est illâ ad Corinthios, ponitur tamen primò locô ab principem orbis urbem. Dum enim tam Judæi quam gentiles Evangelii gratiam propriis meritis adscriberent, Apostolus in Epistola ad dirimendam controversiam ostendit: tam Judæos quam gentiles ante vocationem ad fidem a vera justitia aberrasse, et peccato obnoxios fuisse, adeóque justificationem esse donum Dei ex fide Jesu Christi, non verò ex lege aut propriis meritis.

Prima Epistola *ad Corinthios* scripta est Ephesi, quia 16. — 8. *permanebo autem Ephesi usqué ad Pentecosten*, annô Æræ vulgaris 57. In hac Epistola S. Paulus dissidentes Corinthios ex nimio in Magistros suos studio, et patratum ab uno incestum pro ratione culpæ vel objurgat, vel solatur. *Secunda* eodem annô in Macedonia

scripta eſt, in qua gratias agit, quod suam doctrinam s quantur, ſicut ipsi *Timotheus* retul rat. Diluit etiam calumnias Pseudo-Apoſtolorum, qui ejus authoritatem vellicabant.

Quarta ad *Galatas* Ephesi scripta eſt annô 56. quia poſt abitum suum é Galatia audierat, quosdam a falsis Fratribus seductos esse, qui asserebant, circumcisionem iterum assumendam, legem Evanielio jungendam, hominem ex operibus legis juſtificandum esse, et Paulum a cæteris Apoſtolis discripáre. S. Paulus ex scriptura hujus modi errores diluit, seque cum cæteris Apoſtolis consentire oſtendit.

Quinta ad *Ephesios* Romæ scripta est, quia 6 — 10. ut tur comparatione ducta ab armis militum Romanorum anno 62. Jn hac gr tiam vocationis ad fidem variis animadversionibus illuſtrat, et ad pietatem adhortatur.

Sexta ad *Philippenses* eodem anno Romæ scripta eſt, in qua pro vitæ subsidiis illi, utpote in vinculis detento, missis gratias agit, et ad perseverantiam in vera Chriſti fide hortatur, ne malis pro Evangelio tolerantis frangantur.

Septima ad *Coloſsenses* Romæ a Paulo in vinculis detento ideó scripta eſt, quod a falsis quibusdam Prophetis seducti fuerint.

Oftendit enim nos nonnisi per Jesum Chriftum in fide ftabilitos et reconciliatos esse. Deinde vitæ chriftianæ præcepta subjicit.

Octava et *Nona* ad Thessalonicenses scripta eft. Prima Epiftola anno æræ vulgaris 52. Corinthi, adeoque ante cæteras scripta eft, in qua laudat Thessalonicenses quod firmi in fide perftiterint, sicut ipsi Timotheus narraverat. Proponit etiam quædam vitæ chriftianæ præcepta. Jn *Secunda* sententiam suam clarius de die judicii exponit, quam in prima, docetque prius Antichriftum, quam Chriftum adventurum, tandem desides et a pseudo-doctoribus turbatos reprehendit, quod se non in melius correxerint.

Decima et *Undecima* ad *Timotheum* scripta eft. Prima in Macedonia 1. — 3. Secunda Romæ. Jn utraque docet, quæ sint Episcoporum functiones.

Duodecima ad *Titum* in Macedonia scripta eft, in qua docet quales debeant esse initiandi Presbyteratu et Episcopatu. Subdit dein præcepta, ad quæ *Titus* mores conformet.

Decima tertia ad *Philemonem* civem, Colossensem ejusque discipulum scripta eft, in qua rogat, ut *Onesimo* quondem servo suo furti veniam faciat.

Decimaquarta ad *Hebræos* Romæ sine præpositione nominis scripta est, forte ideo quia Judæis erat invisum, aut quia se gentium Apostolum esse credidit. Docet S. Paulus in hac Epistola, quantum novæ legis Sacrificium et Sacerdotium, illa antiqua antecellat, perculsosque animos Judæorum reficit, et in fide confirmat.

§. 9.

De cæteris canonicis Epistolis.

S. Jacobus minor omnes christianos per orbem dispersos monet, ut modestiam colant, inanem sui fiduciam fugiant, et sapientiam a Deo expetant, docetque contra Simoniacos, fidem sine operibus mortuam esse.

S. Petrus duas Epistolas scripsit. *Primam* nono ab obitu Christi anno, in qua cap 4. insinuatur, fideles jam tum Christianos appellatos esse. *Secundam* ante obitum suum, dum videlicet cum S. Paulo captivus detinebatur anno 66. Patet hoc, si 2. Petri 1. — 14. conferatur cum 2. Tom 4.

S. Joannes tres edidit Epistolas. *Primam* antiqui scriptores ad Judæos inter Parthos dispersos, ibique in captivitate degentes directam credunt, in qua charitatem et veritatem commendat, et maxi-

mum erga nos Christi amorem ostendit. *Secundam* direxit ad nobilem fœminam ejusque natos, cui gratulatur, quod puram et integram fidem in Jesum Christum servaverit, hortatur eam ad perseverantam in charitate, tandem confutat errorem *Basilidis* affirmantis, Christum non hominem, sed phantasma fuisse. *Tertiam* ad Cajum cujus fidem et charitatem laudat, direxit.

S. Judas Thadæus, vità functis cæteris Apostolis, excepto S. Joanne, ut versus 17. innuit, scripsit Epistolam, quæ cum illa S. Petri congruit, et ejusdem argumenti est. Authoritatem hujus libri imminuere non debet id, quod ex apocryphis libris desumptum est, vg. de prophetia Enochi, quia non omnia falsa sunt, quæ in apocryphis reperiuntur.

PARS VI.

De quibusdam Subsidiis ad explicandum codicem divinum.

§. 1.

Multa sunt, quæ in sacris literis sine Geographia, historia, archæologia, græcis, latinis et hebraicis literis intelligi nequeunt. Jnscientia prædictarum scientiarum præter multiplices Allegorias peperit scho-

lasticas et metaphysicas nugas. Non pauca tam in veteri, quam novo Teftamento reperiuntur, quæ quidem ad doctrinam Religionis non pertinent, ex hoc tamen Hermeneuta ignaviæ et inscitiæ velamen quærere non debet. Si enim profani lectores omnia ad minutias excutiunt, et nihil in verbis et rebus intactum, obscurum relinquunt, Theologus parem saltem diligentiam et induftriam in evolvendis sacris libris ponere deberet. Nam in ciborum apparatu placet mora, in re nummaria nihil est minuti, cur in divinis libris placet neglectus, diligentia displicet?

§. 2.

Adminiculum hiftoriæ.

Hiftoria tam profana, quam Ecclefiaftica, veteris et novi Teftamenti à *Rambachio* lumen temporum et Prophetarum appellatur. Nam Baptisma pro mortuis, 1. Cor 15. 29. Exercitium clavium a Chrifto datarum Joan 20. — 23. Distributio Eucharistiæ Lucæ 22. — 19. nonnisi ex hiftoria Ecclesiastica illustrantur et explanantur. Quis bene intelliget Evangelium S. Joannis, nisi sciat errores Cerinthi et Gnosticorum, contra quos scriptum eft? Quomodo S. Jacobus 1. — 1. duodecim Tribubus scribens con-

ciliatur cum hiſtoria profana, quæ narrat plures è captivitate Babylonica non rediisse, nisi hiſtorice demonſtres, non omnes Judæos Babylonem abductos fuisse, et quosdam tantum ad rem familiarem ſtabiliendam remansisse? Unde scies Judæos Româ expulsos ibique synagogas et proseuchas habuisse, ſicut innuitur Act 18. — 2. sub Claudio, niſi ex hiſtoria Josephi? Et quomodo Judæos juxta Act 2. — 10 dispersos probabis in Phrygia, Pamphilia, Lybia, nisi ex profana hiſtoria scias a Ptolomæo 100,000 in Ægyptum abductos esse? Quomodo conciliabis Joan 18. — 31. *nobis non licet occidere quenquam*, cum Act 7. — 39. nisi scias *Stephanum* in populari tumultu occisum, et Senedrium tantum sontes infra capitis supplicium punire potuisse, graviores verò causas Romam delatas esse? Quomodo intelliges Lucæ 1. — 5. *Zachariam fuiſſe de vice Abia*, nisi 1. Paralip 24. — 3. Familias Sacerdotum in 24 classes divisas fuisse scias, quæ ſingulæ per vices quàvis hebdomadâ Jerosolymis sacris operabantur? Qomodo Hebr: 9. — 1. explicabis, nisi scias Sanctum Sacerdotibus patens diſtingvi a Sancto Sanctorum in intimo templo conſtituto, in quod Pontifex semel tantum in anno ingredi potuit? Quomodo porticus Salomonis intelliges Joan

10. — 23. nisi scias in extimo templo cubicula Sacerdotum et atria gentilium seu portas proselytorum fuisse? Quomodo intelliges publicanos publicis peccatoribus æquiparari, et ethnicis, nisi scias eos collectores vectigalium fuisse, qui suos Præfectos aut Principes veluti *Zachæum* habentes, multa contra fas a progenie Abrahæ extorserant, adeoque fuisse genus hominum rapax? Quomodo lotionem pedum a Chrifto et Apoftolo comendatam intelliges, nisi eam spectes ut officium humanitatis, quod ad refrigerandos pedes in calidioribus regionibus exhibebatur incedentibus sine calceis? Quomodo Marci 14. — 15. *cœnaculum grande stratum* intelliges, nisi morem græcorum et Romanorum apud Judæos contra Exodi 12. introductum scias, ftratis nempe lectis mensæ accubuisse?

Obiter moneo, *Clementem, Polycarpum, Barnabam* loquentes de dolorosa Chrifti passione non meminisse spineæ coronæ, unde quidam Mat 27—29. ex græco putant legendum acanthum, quia frutex ifte commodius explicari poteft.

§. 3.

Chronologia.

Alterum librorum lumen eft Chronologia. Quare vetus Teftamentum nemo benè

explanabit, nisi celebriores Epochas memoria teneat. Perplexa quidem hæc est scientia propter difficilem rerum connexionem et Expositorum perpetuum conflictum, constantiâ tamen et labore multa acquiruntur. Ad Chronologiam itaque pertinet quater Christum Pascha celebrasse tempore publici ministerii. Nam licet de quarto Paschate Joan 5—1. controvertatur, eò quod ibi articulus desit, ast hoc movere nos non debet, quia Marci 15—6. Pascha plane eodem modo scriptum reperitur. Annus quoque Conversionis S. Pauli, quem in secundum post passionem Domini passim conjiciunt, ad Chronologiam spectat, quia ab illo pendet cæterorum annorum ratio, quos Paulus enumerat Galat 1—18. et seq: Nonnisi ex Chronologia probari potest, Christum juxta legem Numerorum 9. 13. decimâ mensis *Nisan*, non vero anticipando agnum paschalem cum herbis amaris et azymis panibus saltem ante mediam noctem diei 15tæ manducasse, quia dies 14. Nisan erat tempus determinatum ad mactandum agnum paschalem ministerio Sacerdotum in atrio templi. Legitur quidèm Joan 13—1. Christum facta coena lavisse pedes discipulorum ante diem festum Paschæ, sed hæc cœna non fuit Eucharistica nec Jerosolymis, sed in Bethania. Aliunde non

licuit

licuit ipsô festô paschali *emere necessaria* 13 — 29. *ad diem festum*, sicut in prædicto capite insinuatur. Nec obstat, quod fuerit Parasceve dies sequens Joan 19 — 14, quia Sabbathi non vero Paschatis Parasceve erat. Nec obstat Joan 18 — 28. quia ibi non de esu agni paschalis, sed aliarum victimarum sermo est, quæ per septiduum offerébantur, uti constat ex Josepho, et Mat: 26 — 27.

§. 4.
Stathmica.

Tam græca quàm romana pecunia valuit apud Judæos. Nam Mat: 22 — 19. occurrit *Denarius*, qui est octava pars Joachimici Mat: 26 — 14. *Tetradrachma*, quæ tres denarios continet. Lucæ 19 — 15. *Mna* aut *Mina* quæ valebat 100. drachmis atticis. Decem vero drachmæ $1\frac{1}{2}$ imperiali. *Talentum* 10,000 drachmas æquabat: Judæi quidem post captivitatem Babylonicam signatâ monetâ utebantur, phrasis tamen *pendere*, *appendere* Mat: 26 — 15. servata fuit.

Jnter mensuras erat Marci 7 — 4. *Sextarius* æquans 28. pollices; Lucæ 16 — 6. *Batus* continens 72. sextarios, eratque liquidorum. Aridorum mensura erat *Corus* Lucæ 16 — 7. qui capiebat 10. Batos.

Mat: 13 — 33. *Satum* capiens 24. sextarios, Joan 2 — 6. *Metreta*, quæ amphoram significat, et continebat 48. sextarios juxta *Budæum*; Apocal: 6 — 6. *Choenix* duos sextarios frumenti capiebat.

§. 5.

Grammatica.

Non formæ declinationum et Conjugationum, sed Philologia. Antiquitatis scientia, et ars criticæ per grammaticam intelligendæ sunt, quia sine tali grammatica nec verus verborum sensus reperiri, nec certitudo sensûs contra adversarios defendi potest Unde bene dixit quidam anonymus: *Tanto melior eris Theologus, quanto melior fueris grammaticus.* Quomodo discernes græca ab hebraizantibus sine Philologia? Aut undè disces vim modorum, aut dativi, qui vocatur commodi, *vg.* Mar: 9 — 22? Aut, cùm unius literulæ mutatio, mutationem quoque significationis inducat, quomodo sine grammatica ortographiam discernes?

§. 6.

Rhetorica.

Sine Rhetorica non intelligitur *Apostrophe* Jacobi 5 — 3. quomodo *aurum æruginavit, aut ærugo carnem comedat*, nec

Hypothiposis Apoc: 20 — 11. quodomo à *conspectu sedentis in throno fugerit cœlum et terra*; aut *Prosopopoeia* Cor: 15 — 55. *ubi est mors victoria tua.* Quomodo nesciens figuram *Concessionis* explanabis Mat: 23 — 32. *implete mensuram patrum vestrorum.* Præterea figura *Interrogationis* sumitur diversimodè, ac imprimis *absolute* negat Heb: 1 — 5. *cui dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu?* Al quando *cum restrictione* Rom: 10 — 16. *quis credidit auditui nostro?* pauci. Tandem *abominationis causâ* adhibetur Joan 3 — 4. *numquid potest homo in ventrem matris denuo introire?* Etiam rhetor considerare debet characterem scribendi, et ingenium seu affectum scriptoris. Sic S. Joannes est instar ingentis fluvii leniter fluentis. S. Paulus instar torrentis omnia secum rapientis. Eloquentia tamen ejus potius est pectoris quam artis, quia apud *Gamalielem* nonnisi legem juxta morem, non vero artes didicit.

§. 7.
Dialectica.

Ideas rerum à sono verbarum distinguere docet Dialectica. Sic Act: 19 — 31. per *Asiæ principes* non gubernatorem aut proconsulem intelligere debemus, sed ma-

gistratus ad munera et ludos in honorem Deorum edendos, quorum etiam sacerdotium annuatim capessebant. Tradit etiam Dialectica rationem disserendi, quomodo una propositio ex altera ducatur. Licet enim sacri scriptores nullas formas syllogismorum noverint, naturæ tamen ductum gubernante Spiritu S. sequentes, cuncta inter se connexuerunt, *vg.* quomodo Mat: 12 — 30. *qui non est mecum, contra me est*, ex antecedentibus fluat, et cum consequentibus connectatur?

§. 8.

Logica.

Naturam propositionum universalium, particularium, hypotheticarum, categoricarum docet Logica. Absolute et universaliter dicta, sæpenumerò particulariter et hypotheticè semenda sunt. Mat: 7 — 21. *non omnis, qui dicit mihi Domine* est tantùm negatio particularis, licet sonet universaliter; Timot: 3 — 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, arguendum* hypothetice intelligi debet, scilicet positis ponendis. Decet etiam Logica conciliare apparentes contradictiones Joan 14 — 28. *Pater major me est*, et Joan 10 — 30. *Ego et Pater unum*

sumus positâ nempè distinctione humanitatis et Deitatis. Mysteria tamen juxta regulas Logices, aut Dialecticæ judicari nec possunt nec debent, *vg.* Mat: 16 — 13. *Filius hominis est etiam filius Dei*, quia disparatum de disparato prædicatur, quod Logici fieri posse, negant.

§. 9.

Physica.

Quæ supra aut præter leges naturæ contingunt, ex Physica dignoscuntur, quapropter in dijudicandis miraculis ea maximi est usûs. Jnprimis verò existimandum non est, ideò miracula edita fuisse, ut miseri à calamitatibus aut morte liberarentur, sed ideo, ut innotesceret, Christum et Apostolos divinos legatos fuisse, Joan: 11 — 42. Nec obstat, quod scelesti homines miracula nonnunquam patrare possint Mat: 7 — 22. *multi dicent, dæmonia ejecimus*, quia miracula etiam a malo homine patrata ob bonum finem, Religioni non obsunt, dum econtra divinæ Bonitati minime consentaneum videtur, donum miraculorum cocedere hominibus, qui illô abusuri sint, quia causa erroris esse possent hujusmodi miracula. Sed prosequamur per exempla sicut incepimus. *Erasmus* dicit,

Apostolos suâ nativâ lingvâ locutos fuisse Act: 2 — 8. et miraculo factum, ut nemo non intelligeret. Sed textus dicit Apostolos locutos, non verò intellectos esse variis linguis. Non auditores, sed prædicatores patrarunt miraculum. Interim nemo credat, Apostolos confusè aut furiosè locutos esse, sed prout expediebat, et in quas gentes inciderant, earum linguis locuti sunt. Obviandum etiam videtur criminationi *Gulpherbitani*, qui de audito sono sequens sophisticum objicit dilemma: *Si sonus in tota urbe auditus est, cur homines ad unum potius quam alterum locum confluxerunt? Si vero in domo ubi erat sedentes Apostoli, quomodo sonus ubique audiri poterat? et quomodo omnes convenère?* Sed datur medium. Non ex urbe sed templo convenerunt, sicut innuit 17 *versus* hora videlicet tertia, dum preces matutinæ dicebantur, adeoque in œco quodam seu portícu Salomonis sonus auditus est, et conventus habitus.

§. 10.

De Dœmoniacis.

Memini me suprà, dæmonia effectibus melancholiæ, epilepseos, rabiei adscripsisse. Ne ergo velut hæterodoxi traducantur,

qui expositionem talem s querentur, causam hujus expositionis propinare, ita duxi necessarium, ut lectori liberum relinquatur, sectandi quamlibet opinionem, videlicet, vel gravioribus morbis afflictos eos, qui in Evangelio vocantur dæmoniaci, vel etiam verè et propriè à dæmone obsessos esse. Inprimis hæc opinio nihil cum summa fidei aut morum habet conjunctionis, nec agitur de textu sed intelligentia textûs. Salvator verò modo loquendi Judæorum se conformavit, qui quidquid ignorabant, dæmonibus attribuebant, sicut supra de *Joanne Baptista*, *Magdalena* explanatum est. Germanicus quidam literatus hac de re sic scribit. *Non erat scopus Salvatoris, errores Judæorum ingenio quodammodo congenitos dispergere, popularem Philosophiam aut præjudicia ad Religionem non pertinentia oppugnare, et sic missioni suæ non leve impedimentum ad eruendas è corde malas propensiones, et plantandam probitatem Religionemvè ponere. Non timor displicendi erat, non politica, si inveteratas de dæmonibus opiniones intactas reliquit, si sic locutus est, sicut loquebantur Judæi, sed summa erat prudentia, quæ minuta non curat, dummodo principalem finem assequatur. Quapropter si accusabatur, quod in Beelzebub principe*

dæmoniorum ejiceret dæmonia, tunc scopo suo convenientius reputabat, ex eorum argumento demonstrare, incusationem esse inanem, quam refutare eorum de dæmonibus opinionem. Crediderunt quidem testes et auditores, dæmonem ab ægro ejectum esse, sed hæc bona fides neque Christo, neque judæis, aut ægris nociva fuit, quia in quocunque casu, seu in qualibet hypothesi semper erat miraculum. Posteris ergo temporibus Salvator opinionem de dæmonibus dijudicandam aut dispergendam reliquit. Et am S. *Augustinus* de Gen: ad liter lib: 12 cap: 17. ait *forte revera phreneticus erat, sed propter ista dæmonium pati putabatur.* De cætero recommendo librum *Medicina sacra de morbis insignioribus qui in Bibliis memorantur* cap: 9. Amstelodami 1749. C. Richardi Mead.

§. 11.

Historia naturalis.

Sæpe in sacris literis arborum, gemmarum, herbarum, animaliumque mentio fit, quæ sine subsidio naturalis historiæ non possunt intelligi. Quoniam vero ab hac illave rei qualitate textûs intelligentia pendet, igitur non sufficit Theologo dice-

re, hoc nomen piscis, gemmæ, aut arboris est, Quapropter Mat: 12 — 40. non cetum explicavi, a quo *Jonas* deglutitus est, quia ille in mari mediterraneo non invenitur, et si reperiretur, tunc fauces ejus nimis angustæ a rerum naturalium peritis traduntur, ut hominem vivum degluttiat, sed canem marinum, aut squalum glaucum intelligendum dixi. Sine historia naturali crederes forte ex Davide populariter loquente Psalmo 57 — 5. serpentes obturare aures suas adversus susurros magicos, et observare pedes hominum, nè ab iis obterantur, adeoque prudentiam serpentis Mat: 10 — 16. in eo poneres. Sed rectius in eo prudentiam serpentis collocabis, si juxta *Horatium*, ea mala et pericula ipse fugias, quæ in aliis velut serpens aut aquila observasti. Si parabolam de centupli seminis fructu explicare volueris Lucæ 8 — 8. ex historia naturali Plinii lib: 18. cap: 21. possibilitatem parabolæ juxta præfatas superius Regulas demonstrare deberes. En ejus verba. *Tritico nihil est fertilius, cum è modio, si aptum sit solum, ut est in Byzacio Africæ campo, 150. modii reddantur. Procurator Africæ ex eo loco misit Augusto ex uno grano 150. paucis minus germina. Misit et Neroni ex uno grano 360. stipulas.* Ca-

vendum tamen, ne ex indole Orientalium nostras res æstimemus, sic granum synapis Mat: 13 — 21. longe aliud est, quam in nostris oris, quia illud post multos demûm annos fructum profert, et in arborem crescit, noſtrum econtrà quotannis evanescit. Male quoque de filio prodigo Lucæ 15 — 16. siliquæ in Polonica Versione per *młoto* versæ sunt, quia in orientalibus regionibus siliquæ sunt fructus hominibus et porcis communis, melius ergo ex græco *strączki* seu *legumina* cruda ponerentur. Notandum denique, quod mos erat Hebræorum, signis visibilibus exprimere ea, quæ prædicebantur aut significabantur. Sic Jerem: 21 — 2. funes et compedes sunt signa servitutis. Lucæ 22 — 38. duo gladii sunt signum conflictus. Act: 21 — 11. *alligatus ego spiritu*, et Joan: 20 — 22. insufflatio actionem symbolicam denotant, et sic ultra.

Veteris Testamenti.

Libri	Capita	Versus.
46. 27.	1074. 260.	27876. 7949.

Utriusque Legis

73.	1334.	35825.

F I N I S.

LITURGICA
DE
RITIBUS TRACTANS SPECIATIM VERO DE MISSA.
AD
USUM SEMINARII VARSAVIENSIS CONTRACTA.
CURSUS PRIMUS.

---

§. I.

Idea Liturgicæ.

QUOD apud Latinos significat Missa, quo nomine à Secundo Ecclesiæ Sæculo novæ legis Sacrificium denominabatur, hoc apud Græcos dicebatur Liturgia, Æconomia, Mystagogia, Synaxis, Eulogia, Anaphora, Telete, Prosphora. Missa à duplici Catechumenorum seu Poenitentium et aliorum fidelium dimissione derivatur, sumebaturque antiquitus pro Collectis vel Lectionibus, vel pro ipso officio divino, habetqué apud Latinos varias Denominationes, puta *Agenda*, *Dominicum*, *Oblatio*, *Comm unio*

Coena, *Sacrificium unionis*, ab utraque Ecclesia passim *Sancta Sanctorum*. Christus propriis vestibus Eucharisticam cœnam perfecit; Sed Apostoli ac speciatim S. Petrus ipsâ die Pentecostes sacerdotalibus vestibus indutus, accensis luminaribus, cum oratione Dominica ante et post Missam à S. *Leone* et aliis celebrasse perhibetur. Paulo post varii ritus adjecti sunt.

§. 2.

Ritus Liturgiæ diversi propter Persecutionem.

Post Apostolorum tempora Collecta, Oblatio, Communio, Adoratio, Pax, in qualibet missa quidem adhibebatur, sed ritus hi offerendi haud erant stabiles propter persecutionis permanentem sævitiam. Dispersi enim Pastores, qui mox hos, mox illos ritus adoptârunt, non potuerunt sibi communicare, unum et eundem ritum, sed et in Occidente et Oriente erant diversi, Sacrificio eodem ubique permanente. Eapropter Liturgia sub nomine S. Jacobi, Marci, Basilii, Joannis Chryzostomi, Ambrosii, circumferebatur. Celebrabatur quoque Missa linguâ primigeniâ, licet non semper vulgari, quod divervitatem auxit. Sic Romæ diversa officia celebrabantur, unum

pro Papa, alterum prolixius, licet a S. Petro ordo Missæ quam Romæ habuit in domo Pudentianæ, præscriptus habebatur teste Justino, qui illam Missam vidit et describit. Post S. Petrum *Gelasius* et post Gelasium *Gregorius* M. ordinem Liturgicum adornavit. Jn Oriente Colchi, Jberi, Albani, Melchitæ, Jacobitæ, Copti, Æthyopes, Nestoriani varias habuerunt Liturgias, quæ varietas hodiedum ibi permanet, ita ut Jacobitæ 28. Liturgiis utantur *Tom* I. *fol*: 254. *Pellicia*.

§. 3..

De præcipuis Liturgiis Occidentis.

Primum locum in Occidente obtinet Liturgia Romana, quæ primo Sacramentarium *Leonianum*, Leone certè antiquius, dein *Gelasianum*, tandem *Gregorianum* dicebatur, quæ tamen successu temporis mutata, et à variis Pontificibus aucta fuere. Jn Hispania ordo Liturgicus a Gothis ex Oriente Sæculo VI. invectus, qui *Mozabicus* postea dictus fuit, quia Hispani mixti cum Arabibus ad fidem conversis, illum ritum concorditer adoptarunt, et ad XI. Ecclesiæ sæculum totas pervasit Hispaniæ Ecclesias edicto Concilii Tolètani IV. Jn Gallia Liturgia Gothica seu Gallicana adhibebatur ad Sæculum VIII. a v. authore *Hilario*

Pictaviensi vel *Apollinari*. Tandem Mediolanensis Ecclesia propriam habebat Liturgiam sub Nomine *Ambrosii*, quæ indies novis aucta fuit ritibus. Hæc varietas correctioni Missalis Romani a Pio V. cui Patres Tridentini provinciam demandaverant, sublata est.

§. 4.

Præcipuæ Partes Missæ Catechumenorum.

Vetustissimæ Liturgiæ, puta, Ambrosii, Gregorij, sequentes partes habebant. 1*mo* Jntroitum seu *Jngressum*, hanc partem non habebat Liturgia *Gallicana* et *Musaraba*, namque illæ Missam incipiebant a Lectione, 2*do* Confessionem quæ *Apologia* vocabatur, postquam Sacerdos aut Episcopus altare per gyrum thurificabat. 3*tio.* Preces ut *Kyrie eleyson*, quod in Sacramentario Gregorii M. primo adnotatur. 4*to.* *Gloria* in Constitutionibus Apslis reperitur. 5*to.* Salutatio vg. *Gratia*, *Pax omnibus* vel *Dominus vobiscum* cum *Collecta* seu Oratione, quia Celebrans omnium vota collegit. 6*to.* Lectio duplex erat, una ex veteri, altera ex novo Testamento teste *Tertulliano*, post quas aliquando scripta Pontificum, legebantur. 7*mo.* Post Epistolam seu Lectionem descendendo gradus,

Lector recitabat Psalmum, qui ideo *gradualis* aut *Responsorius* vocabatur, quod Graduale in Musaraba et *Ambrosiana* desideratur. Cantabatur autem a populo unà cum clero. 8*vo*. Post Graduale cantabatur *sequentia*, seu *Prosa* instar præparationis seu *Jubilationis* ad Evangelium, quod cum luminibus à Diacono cantabatur, post Benedictionem celebrantis, populus atqué clerus illud detecto capite, bacillis depositis, audiebat. 9*no*. Finito Evangelio respondebatur *Deo gratias*, et Episcopus fundebat orationem super Catechumenos ante eorum exitum. 10*mo*. Post Symbolum, quod sæpe dicebatur in Missa, habebatur Concio. Hucusquè Missa *Catechumenorum* dicta, usque ad Offertorium nempe terminabatur.

§. 5.

Partes Missæ Fidelium.

Offertorium erat duplex: 1*mo*. Victualium in usum Clericorum et pauperum, quæ primò à viris deinde foeminis in candidis linteaminibus offerebantur, deinde elementorum panis et vini. Oblatio à Viris et foeminis durabat tantum ad sæculum VI. Foeminæ vero extra menstruum tempus ad Sæculum XIII pro se et viris adhuc offerebant, et

hæc oblatio per Diaconum recipiebatur àd altaris septa, ubi Laicis offerre licitum erat. De Oratione super Elementa panis et vini, et eorum thurificatione silent antiqua Sacramentaria usque ad sæculum IX. post quod adhibebatur, tam *Veni Sanctificator* et *Suscipe S Trinitas*, quam thurificatio elementorum. *2do.* Finitô offertoriô non solum Celebrans et Clerus, sed mares omnes exceptis foeminis lavabant manus, quia tantum illi Eucharistiam sumebant manibus propriis. Psalmus autem *Lavabo* nonnis à Sæculo XVI. ad lotionem recitari coepit universè. *3tio.* Sacerdos deinde orabat secreto, populumque precabatur, ut oraret, postea Præfationem seu *Contestationem* teste Cypriano eodem fere modô, ut modo dicebat. Antea 9. erant hujusmodi *Præfationes*, sed Urbanus II. decimam addidit de Beata in Concilio *Placentino* 1095. *4to.* Postea cantabatur *Trisagion* veluti hymnùs triumphalis *Sanctus*, cui græci addebant *Sanctus Deus Sanctus fortis.* *5to.* Dicebatur deinde Canon seu *Legitimum* clarè ad Sæculum VI. tempore cujus Diaconi muscas abigebant flabellô, cæteri incurvato corpore stabant. *6to.* *Memento* fiebat nominatim antiquitus, pro Rege, Patriarcha, Benefactoribus, et cunctis offerentibus, et ex tabula seu diptychis à Diacono cuncti clare

re

tè nominabantur *Chrys*, tandem silenter ex diptychis in altari positis a Celebrante recitabantur ad *Sæculum* XI. 7mo. Post vivorum memoriam fuit commemoratio SS. Martyrum 12, et Virginum 12, et Apostolorum totidem, et procedebatur ad ipsam Consecrationem dicendo *Hanc igitur*, vel *In fractione panis*. 8vo. Consecratio post orationem *qui pridie quam pateretur* fiebat verbis Christi paucis additis, et hâc peractâ hostia à Diacono elevabatur apud Græcos, apud Latinos veró ab ipso Celebrante. 9no. Post Consecrationem dicebantur orationes variæ, ac commemoratio defunctorum ex diptychis, quæ apud Græcos *Necrologia* apud Latinos *rotuli* vocabantur. 10mo. Postea *oratio Dominica* dicebatur, et hostiam in 3. partes Latini, in 9. Hispani, in 4. Græci dividebant, et jam tempore *Chrys* et *Aug*. *Agnus Dei* dicebatur non multum a nostro diversum. 11mo Postea Sacerdos precabatur pacem, omnibus respondentibus *et cum Spiritu tuo* osculumque pacis Diacono porrigebat, qui illud præbebat populo, ut se mutuo oscularentur. Quia vero XI. sæculo illud osculum pacis præbuit scandali occasionem, igitur apud solos Liturgiæ ministros reliquum fuit, et populo a diacono porrigebatur tabella, in qua aliqua sacra imago depicta

fuit. 12*mô.* Postquam Sacerdos se ipsum communicârat, Eucharistiam quoque ministravit Presbyteris, Clericis, Monachis, Virginibus seu Diaconissis, et tandem viris et foeminis. 13*tio.* Monstrando eam dicebat, *Sancta, Sanctis*, ad quæ populus respondebat: *Unus Sanctus*, *Unus Dominus J*, C. *Cyrill.* et extendentes nudam manum dexteram, quasi concavam, supponentesque lævam, mulieres verò ambas manus supra cancellos linteô superimpositô, manu panem Eucharisticum ori admovebant, postquam ad verba Celebrantis *Corpus Xsti* responderunt *Amen.* Hic mos durabat ad Sæculum IX. 14*to.* Post Communionem Sacerdos et populus aquam aut pastillum degustabat, nè cum sàliva aliquid è symbolo Sacramenti Corporis et sanguinis, qui vel è calice vel fistula vel etiam corpori aspersus porrigebatur, expueretur.

§. 6.

Dimissio Fidelium seu Conclusio Missæ.

Post Communionem gratiæ agebantur. Deinde Diaconus clamabat: *Jte in pace* apud Græcos, sed apud Latinos passim *Jte Missa est.* Post hanc Dimissionem Sacerdos populo benedixit. Tan-

dem a S. Pio V. Evangelium S. *Joannis* Seculo XVI. nempe post missalis Romani correctionem additum fuit. Antiquitus finita Missâ cantabatur in quibusdam Ecclesiis *Canticum* 3. *puerorum*, in aliis Evangelium S. *Joannis*, in aliis nihil dicebatur, sicque ritus totius novi et tremendi Sacrificij variè terminabantur.

§. 7.

De variis Missarum generibus.

Hucusque de Missa solemni dictum. Nunc de *privata* dicendum, quæ sine populi conventu fiebat, uti narrat S. *Gregor. Naz.* de suo Parente, quod gravi morbo ægrotans, absente populo in suo cubiculo sacrum faciebat, et in parvis ædiculis ruri, in memoriam Martyrum, aut ob varias necessitates, uti S. *Ambrosius*, *Aug*: memorant Erant etiam Missæ *bifaciatæ*, *trifaciatæ*, dum nempe bis aut ter Liturgica, et semel tantum Canon cum Consecratione peragebatur, sed huic abusui fortiter Ecclesia post XVI. Sæculum obstitit. Missæ quoque *nauticæ* seu apud Græcos *præsanctificatorum* habebantur, in quibus Sacerdos non consecrabat, sed tantum ex præconsecratis communicabat, uti fit apud Latinos in Pa-

rasceve, et apud Græcos in Quadragesimâ, exceptis Sabbativis et Dominicis diebus. Hujusmodi Missæ dicebantur nauticæ, quia in mari habebantur, supra quo consecratio periculosè fiebat. Apud Gallos vero *sicca* Missa hæc dicebatur, quæ a Sacerdote sacris induto, sine Consecratione et Communione fiebat, et loco Corporis Xsti reliquias Sanctorum elevabat. Tandem Missæ defunctorum meminit S. *Cyprianus* seu *Sacrificij pro dormitione.* Nostra Missa defunctorum Sæculo IX. antiquior non est, huicque multa addita demptaque post Missalis præfatam Correctionem.

§. 8.

Quidam Ritus Liturgici abrogati passim vel mutati.

1mo. Jn primitiva Ecclesia erat usque ad Sæculum VI. ante vel post Eucharistiam convivium charitatis *Agape* dictum, quod insinuatur 1. Cor: 11. *2do.* Ordinabantur Diaconissæ, non tamen ad Missam, sed ad discooperiendas baptisandas puellas per immersionem. Hæc tamen ordinatio nec fuit nec esse potuit Sacramentalis, sed merè cæremonialis, sed et hæc cæremonia desiit Sæculo VI. *3tio.* Antea fideles sonitu lignorum, vel

per Cursores vel prænuntiationibus publicis ad devotionem in hoc vel alio loco maxime cryptis subterraneis invitabantur. Post Conversionem vero *Constantini* tubæ sonitu, malleo, vel percussione lignorum usquequo à *Sabiniano*, qui Gregorio M. successerat, campanæ adinventæ sunt, quarum sonitu populus convocabatur. Hæ Sæculo X. benedicebantur à Joanne XIII. 4*to*. Acolithi sindonem et saccum ad recipienda oblata deferebant. Diaconi colubio tantum seu tunica cum manicis ad cubitum tantum à *Silvestro* I. vestiebantur. Subdiaconi solâ albâ utebantur. 5*to*. Erat mos et usus annuli non solum apud Episcopos, qui remanet, sed omnes Xstianos *Clemens Alex*: cujus vestigium jam Genes: 38. de Juda legitur, eratque signum dignitatis. 6*to*. Varia vasa aliô nómine ac formâ ad cultum divinum adhibebantur, *vg*. Urcei, *lancea cum gladio* ad secandum panem, Ad Benedictionem *Dicerion*, seu Cereus bisulcus, *Tricerion* Cereus trisulcus, *cochlear* ad Communionem, *Cantatorium Flabellum*, *Asteriscus* instar duorum Arcuum ad cooperiendas hostias. 7*mo*. Præter indumenta sacra, quæ modo retenta sunt, Episcopi habebant *caligas* seu tibialia, *Orale* seu velum sericum diversis coloribus distinctum, quod post albam ponebatur, *Subcinctorium* seu

parvus manipulus, quô solus Papa utitur. 8*vo*. *Superpelliceum* erat talare antiquitus, sed a Concilio Basileensi decurtatum fuit, quia dicit *ultra medias tibias tunicam longam esse debere*. Calix antea erat ligneus, a *Zepherino* vitreus decretus, deinde argenteus vel aureus sub *Callisto*, III Sæculo, octangularis formæ cum imaginibus et nomine Episcopi teste *Tertul*: cum capsula adhibebatur, modo consecratus debet esse non ex aurichalco aut ære.

§. 9.

Novi Ritus substituti ad Gregorium M.

Ante Correctionem Missalis Romani diversi ritus Liturgici additi sunt. Et quidem Romani Pontifices pro temporis opportunitate veteres abrogârunt, novosque substituerunt, ut unitatem ritus in Occidentalem Ecclesiam saltem una cum ordine Romano induxerant. Hinc S. Alexander præter benedictionem aquæ sale mixtæ decrevit lectionem *Epistolæ* et *Evangelii* in Missa, *qui pridie quam pateretur*, *Unde et memores* et *Passionem* in majori hedomada. 2. Altare antea erat ligneum, dein lapideum, consecratum, reliquiis ornatum. S. Ambrosius *Graduale Pax Domini* et *Præconium Paschale* con-

cinnasse scribitur, S. *Anacletus Dominus vobiscum* instituisse dicitur, S. *Anastasius* ad Evangelium stare jussit, S. *Bonifacius* I. jussit *Gloria in Excelsis* dici in Missa. S. *Cælestinus* I. author est *Introitus*, *Tractus*, *Offertorii* quod primitus sine precibus fiebat. Jn Concilio Moguntino decretum, ut ad elevationem hostiæ pulsetur, sicut in veteri Testamento Levitæ tempore Sacrificii tubas argenteas clangebant, quarum sonitu ad adorandum Dominum populus convocabatur. Hujus ritus meminit. *Jvo Carnutensis.* Universè tamen hic ritus sub Gregorio XI. 1240. invaluit. Vestes sacras S. *Clemens* jussu S. Petri præscripsse fertur, et earum jam meminit S. *Anacletus.* Diversus color in Missa post Silvestrum I. adhiberi cæpit, et à Constantino M. Macario donata fuit stola filis aureis texta *Theod*: Planeta S. *Gordiani* Patris S. *Gregorii* erat castanei coloris *Joan: Diac*: Ante *Constantinum* vèrosimiliter linô vel lanâ utebantur. Author *Actionis Communicantes* creditur *Siricius* Papa et legitur in Const: Aplis. Liturgia sub nomine S. Jacobi incipit a Confessione, sed *Confiteor Deo Damaso* tribuitur. Dalmaticæ quidem S. *Cyprianus* meminit, sst in Romana Ecclesia S. *Silvester* eam concessit Diaconis in Festis tantùm solemnioribus. Antea Reges ea uteban-

tur *Baron.* S. *Damasus Gloria Patri Alleluja* et *Symbolum Constant*: in Missa dici mandavit. *Deo gratias* Monachi dicebant occurrentibus sibi hominibus, ut scribit S. *Augustinus*, et post quamlibet Epistolam respondebatur *Deo gratias*, quod nos Deus pane cælestis doctrinæ enutrire dignetur. Post Epistolas vero S. Pauli semper dicebatur *Pax tecum*, *Dominus vobiscum* legitur Ruth: 2. et 2. Paral: 15. *Gabriel* Angelus quoque Mariæ dixit *Dominus tecum*, in Missam vero à *Clemente* vel *Anacleto* inductum dicitur. Distributa sunt evangelia et Epistolæ per annum à S. *Hierony*: probante *Damaso*. Reliquias SS. in altari decrevit Felix I. Dedicationem vero Ecclesiæ Felix IV. S. Leo *Orate Fratres. Hanc igitur*, *Benedicamus* et *Ite Missa Oblationem* instituit. Candelabra S. *Melchiades* poni jussit in Altari.

§. 10.

Ritus post Gregorium M. additi.

S. *Gregorius* præcipuus Author Missalis habetur, namque ultimus Canoni verba addidit *diesque nostros*, post quem nemo alius Canonem correxit. Orationi Dominicæ addidit *Libera nos et Præceptis salutaribus.* Adornavit *sequentiam* Defun-

ctorum, lotionem pedum, adorationem Crucis in Parasceve, stationes et Litanias majores instituit. Gregorius IX. *Symbolum* in Festis Doctorum dici mandavit. Missam votivam B. V. adornavit Albinus præceptor Caroli M. rogatu *Bonifacii* Archiepiscopi Moguntini una cum votiva de Trinitate, Cruce, Angelis. Officium vero B. V. in Sabbato destinavit *Urbanus* II. in Concilio Claromontano 1096. Tandem Urbanus VIII. multa de celebratione Missæ decrevit.

§. 11.

S. Pii V. Missale.

Ex ritibus mox memoratis universeque susceptis in Europa, exceptis quibusdam Hispaniæ et Italiæ Provinciis, in quibus ritus Mozarabicus aut Ambrosianus viget, coalescit Missale Romanum à Pio V. correctum susceptumque in Occidentali Ecclesia. Quod attinet varia statuta à Joanne *Burchardo* Cæremoniario Papæ collata 1542. et postea sub nomine Rubricarum authoritate Pii V. et Clementis VIII. prodita in lucem, ea explananda sunt iis, qui vices Xsti in terris gerere, sacrificiumque tremendum pro suis et populi delictis suo tempore offerre voluerint.

Monstrantur Alumnis Seminarij partes Missalis.

§. 12.

Regulæ seu Rubricæ generales.

Missa fit vel *de duplici* cum unica Oratione nisi commemoratio fieri debeat, vel de *Semiduplici* aut *simplici* in qua 3. orationes dicuntur, sicut in Dominicis per annum, vel de *feria* aut vigilia, quando nullum Festum occurrit. Quando non est duplex, tunc potest haberi Missa votiva, si rationabilis causa adsit cum commemoratione Festi de quo fuit officium, et simplicis, si hoc die occurrit. Potest etiam dici Missa defunctorum, dum non est duplex, aut Octava privilegiata, *vg.* Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in qua non nisi exposito funere Missa defunctorum haberi potest. Missa semper debet esse conformis officio. Si tamen in aliqua Ecclesia sit titulus, aut populi concursus ad Festum, quod transferri debet, tunc duæ possunt celebrari Missæ, una de die, altera de Festo translato.

§. 13.

De Commemorationibus.

Commemorationes in Missa fiunt sicut in officio, *vg.* de Octava, Domini-

cā, Festo simplici, Feria Adventûs, Quadragesimæ, Rogationis, Vigiliis, si agitur de Festo duplici De simplici tamen in Missa solemni non fit commemoratio, si de eo in primis Vesperis nulla fuit, sed in laudibus tantum et Missa privata, Jn Missis votivis secunda oratio semper est de Festo diei. Ordo vero Commemorationum est sequens 1. Dominica. 2. dies infra Octavam. 3. Feria. 4. simplex 5. Orationes quæ, *2do.* et *3tio.* loco dicendæ. Quotiescunque vero plures Orationes dicuntur, prima tantum et ultima terminatur per Dominum, et ante primam et secundam tantum dicitur *Oremus.* Si vero una ex orationibus cum altera concordat, ut in Secretis et Postcommunione non raro contingit, tunc secunda commutanda est ex Communi.

§. 14.

Epitome Cæremoniarum.

1mo. Quotiescunque se signat Celebrans, manum ponit sinistram super pectus. Jdem dicendum est, dum tundit pectus, excipe dicendo *Nobis quoque* in Canone, quia tunc ponitur sinistra supra Corporale. *2do.* Quotiescunque signat oblata, toties manum sinistram ponit su-

per Altare vel post Consecrationem in Corporali junctis semper primo manibus. 3*tio*. Jnclinatio capitis fit ante revisionem ligularum, ad *Gloria Patri*, Gloria in excelis, et ad ea verba quæ infra memorabuntur, ad nomen *Jesu* et *Mariæ* ad *unum Deum* in Credo, et *adoratur*, ad *Gratias Domino Deo nostro*, ad utrumque *memento*, ad *Tibi gratias agens*, ad *Per Xstum Dominum nostrum*, in 2*do* Memento, ad *Humiliate capita*, *Benedicat vos Omnipotens Deus*. Ad *Qui vivis*, ad unitate Spiritus S. Deus, ad nomen Papæ, ad nomen *Sancti* cujus Festum colitur. 4*to*. Jnclinatio mediocris ad *Deus tu conversus*, ad *Aufer a nobis*, *Oramus te Domine*. *Jn spiritu Humilitatis*, *Suscipe S. Trinitas*, ad *Sanctus*, *Agnus Dei*, *Domine non sum dignus*, *Placeat*. 5*to*. Jnclinatio profunda accedendo ad Altare, per totum *Confiteor* donec *Amen* respondeatur. Ad totum *Munda cor meum*, ad *Te igitur*. Tandem *exeundo* et *redeundo* ad Sacellum. 6*to*. Signat se cruce Jn *initio Missæ*, ad *Jndulgentiam* Ad *Jntroitum*, præterquam de Requiem, quia tunc liber signatur. Jn fine *Gloria* et *Credo*. Ad utrumque *Evangelium* in fronte ore et corde. Ad *Benedictus*, ad *omni benedictione cælesti in Canone*. Signans se patena et dicens cum *Petro Paulo*. Dum se communicat Corpore et sanguine Xsti. 7*mo*. Manus extendit ad hu-

meros et jungit ad *Aufer à nobis*, *Gloria Credo Dominus vobiscum Orate Fratres Veni Sanctificator*, *Sursum corda* ad *gratias agamus* Dno *Deo nostro*, *Te igitur*, *Memento*. Fiat *dulcissimi Filij tui*, *Benedicat vos*. 8*vo*. Junctas habet manus super Altare ad *Oramus te Domine*. *In spiritu humilitatis*. *Suscipe SS. Trinitas* *Te igitur Clementissime*. *Supplices Te rogamus*. Ad 3. orationes ante Communionem, ad *Placeat*. 9*no* Osculatur Altare ad *quorum reliquiæ*, Ante *Dominus vobiscum*, *Orate Fratres*, Ad *ut accepta habeas*, post *ex hac altaris participatione* Ante *pax tecum*, post *Placeat*. 10*mo*. Habet apertas et elevatas manus ad scapulas in Orationibus, Secretis, Postcommunionibus ac in Præfatione, ad majorem partem Canonis, ad *Pater noster*. 11*mo*. Tenet manus separatas super altari vel super Missali, quotiescunque osculatur altare vel genuflectit, ad Epistolam et sequentia, aut hymnum. Ad Verba *Per omnia* et *Dominus vobiscum*. Ante Præfationem. Ad *Per omnia*, ante *Pater noster*. 12*mo*. Tenet manum sinistram super, altare quoties dextra aliquid operatur v. benedicit, Ad *Nobis quoque peccatoribus*. *Libera nos quæsumus Agnus Dei*. 13*tio*. Elevat oculos ad *Munda cor meum Suscipe S. Pater* seu Offertorium panis et vini, ad *Veni Sanctificator*. *Suscipe S. Trinitas*, ad *Deo nostro* post gratias agamus,

ad *Te igitur*, ad *elevatis manibus*, ad utramque *elevationem* ad *Benedicat vos*. 14*to*. Pronuntiatio demissa ad *Aufer a nobis* et *Oramus*, ad totum *Munda cor*, *Per Evangelica dicta*. Ab offertorio usque ad Præfationem exceptis *Orate Fratres*. Ab initio Canonis usque ad *per omnia*, ante Pater noster exceptis *Nobis quoque peccatoribus*: A Pater noster usque ad Communionem exceptis *per omnia*, *Pax Domini Agnus Dei*, *Domine non sum dignus*. Ad *Placeat*. 15*to*. Pronuntiatio mediocris ad *Orate Fratres* usque ad *Sanctus* inclusivè, ad verba *Nobis quoque*. *Domine non sum dignus*. Jn reliquis est Pronuntiatio alta juxta vulgarem regulam A B. C D.

Hæc sunt prænotata, ut non repetantur denuo.

§. 15.

De Principio Missæ usque ad Gloria.

Sacerdos Missam celebraturus, dicto Matutino et laudibus, se præparet per orationem, perquirat Missale, lavet manus dicendo *Da Domine*, præparet calicem, induit se vestibus sacris, ad singulas dicens, orationem positam in Missali. Sicque indutus manu sinistrâ accipit calicem, dextram supra illum po-

nens, atque facta profunda reverentia Cruci vel imagini capite cooperto, cum ministro procedit incessu gravi, oculis demissis, capite erectô. Transiens ante majus altare, coopertus facit reverentiam, si ante locum Sacramenti, genuflectit uno genu, si vero expositum sit Sacramentum aut elevatio in Missa, utroque genu adorat Sacramentum, detecto capite. *Surgit* autem cum celebrans calicem super altare posuerit. Perveniens ad altare, ubi celebraturus est, detegit caput, inclinat se profunde, aut ante Sacramentum genuflectit, atque ascendens ponit calicem ad cornu Evangelii, explicat Corporale, et super illud calicem velô coopertum collocat, bursam vero ad cornu Evangelii, Facta inclinatione capitis accedit ad cornu Epistolæ, atque repertâ missâ redit ad medium Altaris, factáque reverentiâ vertit se à cornu Epistolæ et descendit ad faciendum Jntroitum, quem incipit junctis manibus ante pectus, extensis ac junctis pariter digitis et pollice dextrô supra sinistrum positô in modum crucis, facta cruci profunda inclinatione vel coram Sacramento genuflexione. Coram Episcopo tamen Celebraturus ex cornu Epistolæ expectat Benedictionem ad incipiendum Jntroitum, et in Confiteor dicit *Tibi Pater* loco *vobis Fratres* facit-

que ante et post Jntroitum Episcopo profundam inclinationem. Dicitur vero Psalmus *Judica me* seu Jntroitus semper, excepto tempore Passionis et Missis Defunctorum. Finito Jntroitu dicit secreto orationes consvetas, osculaturque altare ad ista verba *quorum reliquiæ hic sunt*, manibus extra corporale usque ad consecrationem extensis, incipit Jntroitum voce intelligibili se signans signô S. crucis, Ad Gloria Patri caput cruci inclinat, Procéditque finitô Jntroitu in medium altaris cum capitis inclinatione, dicit nonies cum ministro alternatim *Kyrie eleyson*, quô finitô extendens manus elevansque usque ad humeros, et dicens Deo jungens, inclinansque caput cruci dicit, *Gloria* si dicendum.

§. 16.

De Gloria usque ad Evangelium.

Gloria dicitur toties, quoties in Officis dicitur *Te Deum*; Jn Cæna Domini tamen et Sabbathô S. dicitur quia pulsantur Campanæ. Non dicitur in Missis Votivis et Defunctorum, nisi in Votiva solemni, Angelorum aut Beatæ in Sabbatho. Jnclinat caput ad *Adoramus Te. Gratias agimus Jesu Xste* semel et ite-

rum

rum, et dum dicit *Suscipe deprecationem.* Orationes in Semiduplicibus sequenti ordine dicuntur. A Pentecoste ad Adventum et à Purificatione ad Quadragesimam: 2*da* Oratio à cunctis 3*tia* ad Libitum. Ab octava Epiphaniæ ad Purificationem. 2*da*. *Deus qui.* 3*tia*. *pro Ecclesia vel pro Papa.* A Feria 4*ta* Cinerum ad Dominicam Passionis 2*da* Feriæ 3*tia* A cunctis. A Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, 2*da* Feriæ 3*tia* pro Ecclesia vel pro Papa. Ab Octava Paschæ ad Ascens: 2*da* Concede de Beata 3. pro Ecclesia vel Papa. Jn Semiduplicibus infra Octavas 2*da* dicitur de Octava, 3. quæ 2*do* loco infra Octavas ponitur. Jnfra Octavas Paschæ 2*da* Oratio tantum dicitur pro Ecclesia vel Papa. Jnfra alias Octavas 1*ma*. de die 2. de S. Maria 3. pro Ecclesia vel Papa. Jnfra Octavas S. Mariæ et ejus Vigiliis, item infra Octavam OO. SS. 2. de Spiritu *S.* 3. pro Ecclesia vel Papa. Jn Dominicis infra octavas duæ tantum dicuntur orationes, de Dominica nempe et Octava. Jn ipsa Octava vero una, nisi fiat commemoratio. Jn Dominicis per Annum. Simplicibus, etiam tres dicuntur Orationes, sicut in Semiduplicibus, possunt vero etiam 5. aut 7. dici ad libitum. Jn Missis votivis etiam duæ fiunt commemorationes, prout notatur in Ta-

bula infra posita, pro re gravi unica, pro gratiarum Actione 2. Terminatur autem Oratio *Per Dominum* si ea dirigatur ad Patrem: Si vero ad Filium dirigatur *Qui vivis*. Si in Principio Orationis mentio facta sit Filii tunc terminatur Oratio *Per eundem*: Si Spiritus S. tunc dicitur *ejusdem Spiritus S. Deus*. Quotiescunque dicit Orationem, ad verbum *Oremus*, extendit manus, ut palma respiciat palmam, non tamen ultra humeros, inclinansque caput, moxque jungit, et iterum extendit eas usque ad conclusionem *per Dominum*, aut *Qui vivis*, tenetque eas junctas usque ad finem. Post Orationem legitur Epistola, post quam semper respondetur Deo *gratias* excepta 5*ta*. Danielis, in Sabbatis 4. temporum cum Alleluja dicitur, et in fine Lectionum Feriæ 6*tæ*. in Parasceve et Sabbati Sancti. Post Epistolam dicitur *Graduale* excepto tempore Paschali, quo loco ejus dicuntur duo Versus. A Septuagesima ad Pascha non dicitur *Alleluja*, sed ejus loco dicitur tractus. Neque in Vigiliis quæ jejunantur, Feriis Adventus, 4. Temporum. Festo Jnnocentium, extra Dominicam, *Alleluja* dicitur. Jn Vigilia tamem Paschæ Pentecostes et Nativitatis, si in Dominica venerit, dicitur Alleluja. Post Graduale seu Tractum dicitur *Evangelium*, cum *Dominus vobiscum*, *Sequentia*

et signat librum Celebrans, et se ipsum, quô finitô osculatur librum, et respondetur *Laus tibi Xste.* Jn Missa defunctorum non osculatur librum, nec dicit *per Evangelica*, nec celebrando coram Episcopo, quia tunc illi liber deosculandus defertur, nec dicit *per Evangelica*, nisi dum ipse osculatur.

§. 17.

De Symbolo usque ad Præfationem.

Symbolum non dicitur in Feriis, Semiduplicibus, aut duplicibus per annum, dum Missa dicitur de Martyre, Confessore, Virgine aut Vidua, juxta id vulgare *M V. C. non credit*, nisi venerit in Dominicis aut infra Octavas. Dum dicit *Et incarnatus est* genuflectit Sacerdos. Expletô Symbolo dicit *Dominus vobiscum*, *Offertorium* junctis manibus, discooperit calicem, ponitque ad cornu Epistolæ, amovet pallam, accipit patenam cum hostia et ambabus manibus ante pectus eam elevatam tenens, dicit *Suscipe.* Si fuerint aliæ hostiæ consecrandæ in vase super corporali, dextrâ illud discooperit, et ad illas consecrandas intentionem dirigit, Finitô Offertoriô illud vas pallâ cooperit. Dictô offertoriô celebrans in eadem altitudine facit cum

patena signum crucis super corporale, hostiam ante se, patenam vero subtus corporale ponit. Pergit ad cornu Epistolæ, et accepto calice vinum infundit et aquam nihil dicendo ad Benedictionem extra Missam Defunctorum, et recitat *Deus qui*. Rediens ad medium Altaris cum inclinatione, dextra accipit calicem, ambabus manibus eum tenens, dicit *Offerimus*, quô finito crucem format, cooperit eum, et inclinatus dicit preces præscriptas, et oblata benedicit, proceditque ad lotionem manuum, post quam in Missis Defunctorum et tempore Passionis non dicit *Gloria Patri*. Redit postea junctis manibus ante pectus in medium Altaris, inclinatus dicit *Suscipe* elevatis primo et demissis statim oculis, quô finitô vertens se ad populum dicit clarè *Orate Fratres*, ac reliqua secreto dicendo, perficit circulum, nisi sit expositum SS. Sacramentum. Post recitatum à Ministro *Suscipiat*, respondet Celebrans secreto *Amen*, ac sine *Oremus* juxta numerum orationum, quæ in principio Missæ clare dictæ sunt, dicit orationes secretas, ac eodem môdo finit, sicut ibi dictum est. His peractis dicit per *omnia* cum reliquis, *Præfationem*, conformem Festo propriam vel communem, quà finitâ profunde inclinatus, *Sanctus* dicit, ad *Benedictus* se signans

erigit. Jn Votivis etiam propria Præfatio dicitur. Jnfra Octavas propria Festi dicitur, licet nulla facta sit de eo commemoratio.

§. 18.

De Canone.

Canon Missæ dicitur secreto. Actio, *Communicantes* et *Hanc igitur* aliquando variantur. Jncipit vero Celebrans Canonem oculis ac manibus elevatis ac statim demissis, ac positis manibus super altare dicit *Te igitur*. Post istud Verbum *benedicas* osculatur altare, et mox erectus ac junctis manibus, quod semper ante quamvis Benedictionem observandum est, ter oblata benedicit, ad verba *hæc dona*. Si sedes Papalis aut Episcopalis vacat, tunc eorum nomina omittuntur. Ad *Memento* stat junctis manibus, facitque secreto memoriam tam vivorum, quam postea mortuorum, licet sufficiat eos mente exprimere. Ad verba per *Christum Dominum nostrum* semper jungit manus sine inclinatione. Ad *hanc igitur* manus expandit super oblata pollicibus in modum crucis supra positis. Ad ista verba *benedictam adscriptam ratam* ter, ad ut nobis *Corpus* semel, et ad *sanguis* itidem semel calicem benedi-

cit, factâque manuum ac oculorum elevatione, capitisque inclinatione, ut dictum est, extergit digitos ad verba *Qui pridie*, accipit pollicibus et indicibus hostiam ad verbum *accipiens*, elevat oculos ad *elevatis*, inclinat caput *ad gratias agens*, benedicit ad *benedixit* et prosequitur reliqua. Si plures hostiæ consecrandæ sunt, discooperit vas ante acceptionem panis manu dextra. Tandem cubitis super altare positis distinctè reverenter et secreto profert verba consecrationis tam supra hostiam, quam pollicibus et indicibus tenet, quam super alias consecrandas, extensis aliis digitis, junctisve, eamque genuflexus adorat, elevat, et intentis in eam oculis populo adorandam ostendit sicut calicem, moxque manu dextra repositam iterato adorat. Ab eo tempóre pollices et indices non disjunguntur, nisi cum hostiam tractare debet. Cooperit post 2*dam* adorationem vas hostiarum consecratarum, si subsit, et discooperit calicem, quem ambabus manibus tenens elevat ad *accipiens* benedicit, et se inclinat ad *gratias agens* formam calicis profert, quâ finitâ adorat Sacramentum et dicit *hæc quotiescunque* elevat, sistit, cooperit, adorat denuo. Dicit deinde consuetas preces, facit oblatorum et sui ipsius Benedictionem, tundit pectus ad *No-*

bis quoque peccatoribus manu sinistra super altare positâ, signat hostiam ter dicendo *sanctificas* ac manu dextera calicem discooperit, et Sacramentum adorat. Surgens sinistrâ tenet calicem infra cuppam, et dextrâ accepto corpore super calicem à labio ad labium 3. cruces format dicens *per ipsum*, et infra calicem bis signat dicens *est tibi Deo Patri*, tenensque tandem hostiam super calicem, ambabus manibus eum elevat, hostiam reponit, calicem cooperit, et adorat. Positis dein manibus intra Corporale extensis dicit *per omnia.* Post *Amen* jungit manus dicens *Oremus*, disjungit et extendit ad *Pater noster* usque *Et ne nos*, quod dicens extergit purificatorio patenam, eamque tenens mediam inter indicem ac alios digitos, erectam, super altari, sinistrà super corporali positâ, secreto prosequitur *Libera nos*, et antequam dicat *da propitius pacem* signat se patenâ, et eam deosculatur, et hostiæ supponit, et orationem ultra prosequitur. Discooperit deinde calicem, adorat Sacramentum, et accipit hostiam inter pollicem et indicem dextræ manus, reverenter frangit dicens *per Dominum*, positâ unâ parte hostiæ frangit alteram, dicendo qui *tecum vivit* ac sinistrâ dein calicem tenens dicit *per omnia*, et ter signando 3*tia* particulâ ho-

stiæ crucem, dicit *Pax Domini*, quô finito eam in calicem immittit dicendo *Hæc commixtio* cooperit Calicem, genuflectit, et positis manibus super altari dicit *Agnus Dei*, in cujus fine tundit pectus, manus non jungendo, postea inclinatus 3. orationes recitat vel duas in Missa Defunctorum, in qua pectus non tundit, sed dicit *dona eis requiem*. Dictis Orationibus Sacramentum adorat, manu dextrâ ambas hostiæ partes accipit, et patenam inter indicem et medium sinistræ supponit, dicens *Panem cœlestem*, et inclinatus, tundens pectus dicit *Domine non sum dignus* ter, quibus finitis erigit se, et manu dextrâ hostiam tenens, se illâ signat, ita ut limites patenæ non egrediatur dicens *Corpus Domini*, et positis cubitis super altare, corpus Christi reverenter sumit. Sumptô Corpore, patenam ponit super corporali, erigit se, et junctis ante pectus manibus, quiescit in meditatione SS. Sacramenti, postea discooperit calicem, genuflectit et patenâ colligit fragmenta dicens *Quid retribuam* et patenam super calicem pollice et indice extergit. Junctis pollicibus et indicibus, dextrâ calicem infra cuppam accipit, sinistrâ patenam, dicendo *Calicem salutaris*, signat se Calice dicens *Sanguis Domini*, et supponens sinistrâ patenam ca-

lici, sumit sanguinem ad summum triplici haustu. Deinde positô calice super altari et dicendo *Quod ore* porrigit calicem ministro ad infundendum vinum. Quô sumptô pollices et indices ponit super calicem, sicque ad cornu epistolæ factâ inclinatione procedit ad purificandum calicem, vinô et aquâ, dicendo *Corpus tuum.* Reversus inclinat se, ablutionem sumit, os et calicem purificatoriô extergit, et purificatorium patenamque calici imponit, sistit extra corporale, et plicatô corporali reliqua ut ante Missam imponit super calicem. Si Communio distribuenda sit, ea peragetur sumptô sanguine.

§. 19.

Finis Missæ.

Communio et Orationes post Communionem dicuntur eô ordine ac modô, ac repetito *Dominus vobiscum* et osculô altaris sicut in principio Missæ. Finitâ ultimâ Oratione claudit librum, nisi legendum sit Evangelium Dominicæ, Feriæ aut Vigiliæ. Post osculum altaris dicit *Dominus vobiscum* et *Ite Missa* quotiescunque *Gloria* dictum est, quia alias *Benedicamus* dicendum foret, et in Missa defunctorum *Requiescant* licet pro

uno. Dicto *Placeat* datur *Benedictio* extra Missam defunctorum, præsente vero Episcopô, acceptâ licentiâ ejus benedicitur. Post Benedictionem perficit circulum, nisi coram SS. Sacramento celebraretur, et dicto *Dominus vobiscum* legit Evangelium, quod signat, et suam frontem, os et pectus. Jn Evangelio Joannis flectit ad illa verba *Et verbum*, ac rediens in medium accepto calice sinistrâ, dextrâ supra positâ procedit, facta profunda inclinatione sicut ante Missam ad sacellum.

Quoniam ea, quæ in Missa solemni, aut coram SS. Sacramento addenda sunt, aut in Missa Defunctorum *omittenda, ad Cæremoniarum studium spectant, et in Seminariis videri aut ex Missali aut manuali Cæremoniarum legi possunt, igitur supervacaneum duxi, ea hic accuratius describere, ne opusculum in opus aut volumen excrescat.*

§. 20.

Ordo Missæ juxta prædictas Regulas.

Recurrendum est ad ordinarium de tempore vel de Sanctis, Si propria Missa hic non habetur, sumenda Missa de Communi, vel ex Festis pro aliquibus locis, vel ex Patronis Regni Poloniæ et Sveciæ. Si agitur de feria, sumitur ex

Dominica præcedenti, si non habeat propriam, omissis *Gloria* et *Credo.* Tempore tamen Paschali in Missa feriali dicitur *Gloria* exceptis diebus Rogationum. Jn Missa Defunctorum quotidiana dicuntur tres Orationes sine *sequentia*, in aliis una cum *Sequentia.*

Quomodo in Dominica Palmarum, in Purificatione, majori hebdomada procedendum, Rubricæ particulares suo loco et tempore legendæ sunt.

§. 21.

De Paramentis.

Quinque coloribus uti consvevit Ecclesia. 1mo. *Albô* qui adhibetur in Festis Domini, Beatæ, Angelorum, Cæna Domini, Sabbatho, S. Joannis Baptistæ, et Evanni, Sabbatho, S. Joannis Baptistæ, et Evan. gelistæ, et Cathedra S. Petri, et ad vincula, Conversione S. Pauli, in festo Doctorum, Confessorum, Virginum et Viduarum non Martyrum. 2do. *Rubro* in Festis SS. Martyrum excepto SS. Jnnocentium extra Dominicam. A Vigilia Pentecostes usque ad Sabbatum, in Festo Sanctæ Crucis. Jn Octavis et Votivis prædictorum Festorum. 3tio. *Viridi* in Officio de tempore ab Octava Epiphaniæ ad Septuagesimam, et ab Octava Pentecostes ad Adventum. 4to. *Violaceô*

in Feriis et Dominicis Adventus et Quadragesimæ, in Litaniis et Rogationibus, in Festo SS. Jnnocentium extra Dominicam: Jn Processionibus et Benedictionibus Cinerum et Candelarum, Palmarum. 5*to.* Nigro in Parasceve et officiis Defunctorum.

§. 22.

De Qualitate Paramentorum.

Jn Missa Sacerdos semper utitur *Planetâ.* Jn Vesperis autem, Matutino, Benedictionibus, Processionibus, Pluviali, seu Cappâ, et tunc semper manipulum deponit. Ubi Pluviale haberi non potest, celebrans cum alba et stola sine Planeta benedicit in altari. *Dalmatica* et *Tunicellâ* utuntur Diaconus et Subdiaconus Celebranti assistentes, non tamen in Vigiliis jejuniorum, Dominicis et Feriis Adventus et Quadragesimæ, exceptâ Dominica *Gaudete et Lætare*, etiam infra Hebdomadam.

§. 23.

Requisita ad Missam.

Jn altari debet esse crux, duo saltem candelabra cum candelis accensis,

3. mappæ super altari mundæ et benedictæ, tabellæ secretarum, Cussinus supponendus Missali, campanula, ampullæ cum pelvicula et manutergio, panis, Minister, intentio et dispositiones corporis et animæ. Debet etiam dici Missa ab aurora usque ad meridiem, nisi excuset Festum aut iter. Altare consecratum ab Episcopo. Ecclesia saltem benedicta. Vestes benedictæ. Corporale mundum, ex lino non serico, et quidem benedictum. Missale, vinum.

24. §

Qualitas panis et vini.

Si panis non est triticeus, aut sit corruptus, Sacramentum non conficitur. Si panis confectus sit ex aqua rosacea, dubium est, an Sacramentum conficiatur. Si ceperit corrumpi, aut fermentatus sit, valet Sacramentum, sed graviter peccatur. Quapropter si Sacerdos *ante consecrationem*, advertat hostiam esse corruptam, remotâ illâ, aliam ponat, factâ oblatione saltem mente, dein prosequitur ab eo loco ubi desiit. Si id *post Consecrationem* advertat, aliam ponat factâque oblatione saltem mente incipiat ab illis verbis. *Qui pridie* illam consecret, et corruptam si *non sumpsit*

sumat post sumptionem corporis et sanguinis, vel alii sumendam tradat, aut reverenter conservet. Si vero sumpsit corruptam, nihilominus sumat mox consecratam, quia perfectio Sacramenti majoris est ponderis, quam jejunium. Si Sacerdos post sumptionem sanguinis hostiam corruptam fuisse cognoverit, debent denuo panis et vinum consecranda apponi, factâ oblatione utriusque incipiendo à *Qui pridie.* Jdem dicendum, si hostia consecrata dispereat, vento, miraculo, aut ab animali accepta, reperiri non poterit.

§. 25.

Qualitas vini.

Si vinum sit acetum, aut putridum, aut ex uvis acerbis non maturis expressum, aut nimia quantitate aquæ corruptum, non perficitur Sacramentum. Acescens vero, et mustum, ex uvis nunc erpressum, aut acre, aut aquâ rosaceâ mistum, est quidem apta materia ad Sacrificium, sed conficiens illud graviter peccat. Quapropter si Celebrans ante sanguinis consecrationem advertat, non esse vinum in calice cum aquâ, aut esse corruptum, debet aliud vinum cum aqua apponere, et factâ ob-

latione consecrare, incipiendo à *Simili modo*. Jdem quoque faciendum est, si id advertat post consecrationem sanguinis. Si vero post sumptionem Corporis detegeret, esse aquam loco vini, tunc aliam hostiam et vinum consecranda apponere debet, et factâ oblatione consecrare, et omissis cæteris sumere non obstante jejunio. Excipe nisi timeat scandalum in loco publico, tunc enim solum vinum apponere offerre, consecrare ac sumere omissis reliquis sufficeret. Si celebrans ante Consecrationem advertat, aquam non fuisse appositam, tunc affundat, sed post consecrationem, intermittat. Si materia denuo apponenda nullo modo haberi potest, tunc *ante Consecrationem* Corporis Missa relinquenda foret, post *consecrationem* Corporis vero prosequenda omissis signis, quæ pertinent ad speciem deficientem. Si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum foret, ne Sacrificium maneat imperfectum.

§. 26.

Forma.

Si quis diminueret aut mutaret Formam consecrationis, ut verba idem non significarent, tunc non conficeret Sa-

cramentum; Si vero aliqua adderet, conficeret quidem, sed graviter peccaret. Quapropter si constet certo, se omisisse aliqua, quæ ad necessitatem Sacramenti pertinent, deberet formam consecrationis aut ejus partem reassumere, et cætera prosequi. Jdem faciendum, si valde probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse. Quod si non pertinet ad essentiam, non resumat.

§. 27.

Intentio.

Si quis non intendit consecrare, aut non nisi delusorie, is non consecrat. Non consecrat quoque hostias latentes, qui tantum patentes consecrare vult. Si quis phantasticus undecim hostias manu tenendo, vellet tantùm decem consecrare, non determinando quas, is quoque non consecraret. Debet ergo intentionem habere consecrandi eas, quæ sunt in corporali. Si ergo deprehenderit duas hostias post Consecrationem, antea vero unam se tenere putans, debet utramque sumere. Si post sumptionem calicis aut etiam post ablutionem deprehenderit reliquias, sive parvas sive magnas, debet eas pertinentes ad idem Sacrificium etiam non jejunus sumere. Jntegra tamen ho-

stia

sti a post ablutionem deprehensa in tabernaculo reponenda, vel sequenti Sacerdoti sumenda relinqui debet: Quod si conservari non posset, eam sumere non jejunus poterit. Si intentio non est actualis propter mentis evagationem, sed virtualis tantum, valet Sacramentum.

§. 28.

Dispositio animæ.

Existens in peccato mortali, et habens copiam Confessarii, suspensus, excommunicatus, interdictus, irregularis, conficit quidem Sacramentum, sed lethaliter peccat. Unde si in casu necessitatis non habèns Confessarii copiam celebrat, aut in ipsa Celebratione se mortalis peccati reum recordetur, conteratur, et quam primum confiteatur, vel si scandalum non timet, ante consecrationem Missam derelinquere debet, tam in peccato mortali, quam Censura aut irregularitate, ante Canonem.

§. 29.

Dispositio Corporis.

Qui aliquid post mediam noctem sumpsit per modum cibi, potûs, aut

medicinæ non, potest communicare aut celebrare. Si quis vero ante mediam noctem aliquid sumpsit, licet non digesserit, aut non dormierit, celebrare poterit. Si deglutiatur stilla aquæ præter intentionem, aut reliquæ cibi transglutiantur per modum salivæ, Communionem hæc non impediunt Si nocturnæ pollutioni per præcedentem cogitationem vel per nimiam crapulam causam dederit, aut de consensu dubitaverit rationabiliter, tunc debet abstinere.

§. 30.

Varii Casus.

1. Si celebrante Sacerdote violetur Ecclesia, homicidio voluntario, seminis humani effusione manifesta, aut si timeatur hostium incursus, aut alluvio, tunc ante Canonem dimittat Missam, post Canonem vero acceleret sumptô Sacramentô, omissis aliis.

2. Si Sacerdos *ante Consecrationem* infirmetur, moriatur, aut in syncopen incideret, Missa prætermittitur. Si vero id contingat *post Consecrationem*; Missa supplenda est per alium Sacerdotem, licet non jejunum, ita ut infirmo Sacerdoti mediam hostiam vel aliam conse-

cratam præbeat, alteram partem hostiæ et sanguinem ipse supplens sumat.

3. Si musca aut aranea ante consecrationem in calicem incideret, vinum in vas effundendum, aliud mistâ aquâ apponendum, offerendum et consecrandum est. Si vero id fiat post consecrationem extrahenda est, vino lavanda, et comburenda, lotio et combustio in sacrarium projicienda. Si tamen nauseam non creet Sacerdoti, potest sumere cum sanguine.

4. Si aliquid venenòsum aut vomitum pariens inciderit in vinum, aut super hostiam consecratam, tunc hostia in tabernaculo reponatur, consecratum vinum vero in alio calice, in panno lineo vel stuppa usque ad corruptionem servanda sunt, et comburenda, combustio in sacrarium mittenda, et interea alia hostia vel vinum apponenda, offerenda, consecranda sunt.

5. Si sumendo hostiam, particula remanserit in calice, tunc vel digitô admotô adducat eam ad labium calicis, vel etiam infusô vinô eam sumat.

6. Si ante oblationem hostia fracta appareat, altera accipiatur, si citra longam moram haberi possit, si post oblationem confracta appareat, consecretur, nisi populo scandalum sit, quia tunc alia integra apponenda, offerenda

et consecranda foret, et confracta post sumptionem ablutionis sumenda est.

7. Si propter frigus aut negligentiam tota hostia ceciderit post consecrationem in calicem, et tota madefacta fuerit, non extrahat illam, sed omissis signis omnia dicat, communicando se vero dicat *Corpus et sanguis*. Quod si commode partem hostiæ non madefactam extrahere posset, missam prosequatur, faciendo signa super residuam partem hostiæ.

8. Si hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur pannis calefactis, vel in fervente aqua collocetur, aut ambabus manibus cuppam tenens halitu suo liquefaciat eum.

9. Si per negligentiam aliquid de sanguine ceciderit super vestes, terram, tabulam, linteum, sorbeat Sacerdos stillam, locus radatur, vel abluatur, et ablutio seu rasio in sacrarium projiciatur.

10. Si Sacerdos evomat Eucharistiam et *species non appareant*, vomitus comburatur, et Cineres in sacrarium mittantur, *si vero appareant species*, caute ad corruptionem separandæ, et corruptæ in sacrarium projiciantur. Quod si sine nausea sumi possunt, sumantur.

11. Si hostia aut ejus particula in linteum aut in terram delabatur, reve-

renter accipienda est, locus vero radendus, aut lavandus, ratio tandem aut lotio in sacrarium mittendæ sunt.

12. Si recordetur Sacerdos se aliquid in Missa omisisse, vg. *Gloria Cred*, aut *aliquam commemorationem* in progressu Missæ, ea non debet repetere, nec regredi. Commèmorationem tamen omissam posset et deberet inter Secretas addere, si recordaretur, vel post Communionem.

APPENDIX

De munditia et nitore sacræ supellectilis.

Juxta Acta Ecclesiæ Mediolanensis Altaria bis singulis annis, dum suppedanei adum est spoliata sint, et suppedanei amoti, ut sicci àëris beneficium sentiant. 2. Mutatis mappis mundentur quoque altaria scopulâ arundineâ et tela cerata, quæ lapidi sacro hæret. 3. Jcones, Tabernaculum, Umbellæ singulis mensibus mundentur caudis vulpinis, aut scopâ arundineâ. 4. *Calices* et *patenæ* quintodecimo die aquâ tepidâ levi manu laventur, sexto vero quoque mense sapone molliori, ac postquam 4. circiter horas in sole permanserint, calidâ lixiviâ benè abluantur, vel etiam ad

amovendum saponem cocto furfure, aut aquâ munda abluenda. 5. Candelabra ex aurichalco latere in tenuissimum pulverem redactô nitidiora redduntur, si panno asperiore terantur, nulla aqua adhibita. 6. Urceoli adhibitô ovorum cortice bene contritô cum ligneolo ad sordiculas eliciendas purgantur. 7. Aenea vasa bis singulis annis latere contrito, vel arena et aqua abstergantur, si vero stannô sint illita, furfur et aqua adhibeatur. 8. Tota supellex bis in anno àéri exponatur, ne mucescat vel male oleat. 9. Fenestræ Sacristiæ sereno cælo pateant, et capsulæ ductiles paululum educantur, ut àéris beneficium sentiant.

Tabula pro Missis Votivis.

CURSUS

Ad pag: 182

T A B U L A

PRO MISSIS VOTIVIS DICENDIS.

Votiva	Color.	Mis:	Gloria.	Credo.	Præfa:	Benedi:	Orationes.
De Sancta Trinitte.	Alb:	Propr:	Omit:	Omit:	Propr:	Bened:	2da et 3tia Diei curren-tis.
De Sancto Spiritu.	Rub:	Propr:	Omit:	Omit:	Prop:	Bene:	2da et 3tia Diei curren-tis.
De Sanct: Euchar.	Alb:	Prop:	Omit:	Omit:	De na-tiv. D.	Bene:	2da et 3tia Diei currentis.
De Passio-ne Domini.	Vio:	Prop:	Omit:	Omit:	De Cruce:	Bene:	2da et 3tia Diei currentis.
De Cruce.	Rub:	Prop:	Omit:	Omit:	De Cruce:	Bene:	2da et 3tia Diei currentis.
De B. V. M.	Alb:	Prop:	Extra Saba: Omit:	Omit:	Prop:	Bene:	2da Diei cur-rentis, 3tia de Spiritu. S.
De Angelis.	Alb:	Prop:	Dic:	Omit:	Com:	Jte M.	2da et 3tia Diei currentis.
De Apostol.	Rub:	Prop:	Omit:	Omit:	De Apos:	Bene:	2da et 3tia Diei currentis.
Tempore Belli et in aliis.	Viol:	Prop:	Omit:	Omit:	Com:	Bene:	2da et 3tia Diei curren-tis.
Pro Defunctis.	Nig:	Prop:	Omit:	Omit:	Com:	Requi.	Una v. Plures pro qualitate Missae.

CURSUS SECUNDUS
ET
PARS SECUNDA
LITURGICÆ.

---

§. I.

De Ritu Psallendi et de Breviario.

Apud Judæos non solum tempore Davidis, quando Psalmi ad cultum divinum adhibebantur, sed etiam ante Moysem et eo vivente erant Cantica, uti constat ex Genesi 49. et Deut: 32. Etiam in primitiva Xsti Ecclesia cantabatur 1. Cor. 14 — 15. *Quid ergo? orabo spiritu, orabo et mente; Psallam spiritu, psallam et mente.* Adhortatur ad Cantum Ephes 5 — 16. *loquentes vobismet ipsis in Psalmis et Hymnis et canticis spiritualibus cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino.* Imo videtur, certas diei horas Orationi jam tempore Apostolorum determinatas fuisse, quia Act: Apsl: 3 — 1. *Petrus et Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam* 2 — 42. *A-*

postoli erant orantes horâ 3tiâ in Pentecoste. Act: 10 — 9. *Horâ sextâ orabat Petrus.* Act: 16 — 25. *Media nocte Paulus et Silas.* Successu temporis *Palagius* I. et II. *Damasus* modum psallendi amplificârunt et firmarunt. Sed Authores Officii divini, ut nunc est, *Gelasius* et *Gregorius* I. et VII. habentur, uti ex Pii V. Constitutione constat.

§. 2.

Origo chori seu cantus alternativi.

Dum omnes uno ore antiquitus canerent, cantus iste *directus* vocabatur, dum vero alternatim canebatur, *antiphonus* cantus dicebatur. *Socrates* scribit à S. *Jgnatio* Episcopo Antiocheno cantum alternum in Ecclesiam introductum fuisse, quod intelligendum est de Psalmis Davidicis alternatim canendis. Jdem *Socrates* et *Sozomenus* tradunt, S. *Joanem Chrys.* Constantinopoli hunc modum psallendi introduxisse. Hic tamen mos in monasteriis non fuit receptus, quia tempore *Cassiani* unus in medio psalmos modulabatur audientibus cæteris et tacentibus. Aliquando præcinebant ii, qui Psalmos apprimè callebant, et multitudo respondebat eum concentu, qui can-

tus vocabatur *responsorius Sozomen*: Cantabantur autem Psalmi stando cum antyphonis, quas S. *Ambrosius* ex Oriente invexit, à *Flavio monacho*, nempe breves sententias, quas canticis aut Psalmo præposuit, et aliquando bis dicebantur, aliquando ad singulos versus, *Joan: Monachus in vita S. Odonis pro Festo S. Martini.* Reges et Principes nocturnis et diurnis horis aderant, ut testatur *Eginardus* de Carolo M. et de Alfredo Rege Anglorum *Malmesburiensis Wilhelmus*, etiam à Laicis erant decantati Psalmi ad Sæculum IX, quô solis Clericis relicti sunt. Loco mollis ac theatralis cantûs a *S. Gregorio M.* plenus seu *Gregorianus* introductus est Romæ, et alibi. Jn Occidente cantus alternativus invaluit primum Mediolani tempore S. *Ambrosij*, quem usum postea *Damasus* Papa probavit, et servari præcepit in aliis Ecclesiis.

§. 3.

Origo precum Canonicarum seu Breviarii.

Usus Breviarii quocunque nomine vocaretur, non fuit ante Lectionarium S. *Hieronymi.* Constitutiones Aplicæ libro 8*vo*, cap: 34. sic habènt: *Precatio-*

nes facile mane, hora 3tia, sexta, nona et vespere, atque ad Galli cantum. S. Hieronymus præter prædictas horas orandi ad *Lætam* meminit Psalmorum, Orationum et hymnorum, quæ diu noctuque psallenda proponuntur cuivis sorori seu sanctimoniali. Hic mos psallendi horis certis, tanti æstimabatur, ut sine peccato èt poena omitti non posset, Namque in Concilio Carthag IV. Venetico 465. vel privatione stipendii, aut communionis per septem dies puniebatur, qui vigiliis matutinis aut horis psallendi deerat. Patet ergo Canonibus, Conciliis, et more antiquô horas ad psallendum, orandumve tum privatim, tum publice, præscriptas fuisse, unde *Canonicæ* preces vocantur. Sed ad certam formam redactæ sunt preces jussu *Damasi* a Hieronymo. Sub *Theodosio* ad Græcas quoque Ecclesias translatæ sunt. *Gelasius* Sæculo V. hymnos addidit, et novô ordine Psalterium concinnavit. Quoniam verò mendis scatebat propter amanuensium ignaviam, nullô ordine preces et Psalmi positæ fuerint; tunc Gregorius VII. illud pristino ordini restituit Sæculo XI. vocabaturque tunc *Liber officiorum juxta morem Aulæ Romanæ, Cursus Pensus*. Quia autem erat prolixum, hinc Fratres Minores et Cardinalis S. Crucis aliud brevius adornârunt, quare

alii hoc vel illô, alij prolixiore, breviore alij officiô utebantur, donec Sæculo XIII. hodiernum *Breviarium* ad modernam formam emendatum fuit, sub Gregorio IX.

§. 4.

Reformatio Breviarii.

Jnitio Ecclesiæ Psalmodia in varios libros distributa fuit, puta *Psalterii*, in quo Psalmi, *Antyphonarii* in quo sententiæ Psalmorum, *Lectionarij* in quo Lectiones, *Hymnarij*, in quo hymni continebantur. Cessante ergo publicâ Psalmodiâ, et relicta apud Clericos, illorum codicum inopiâ pressi pauperes, librorum *epitome* sibi fecerunt, et Epitome illud *Breviarium* Sæculo IX. nuncupârunt, privatimque juxta antiquam disciplinam absolverunt, si justa ex causa Ecclesiam adire nequibant, cui incardinati erant. Quia vero ista Breviaria erant diversa, brevia et prolixa, mendis plena, hinc *Aymonius* Generalis Minister Ordinis Minorum S. Francisci sub Gregorio IX. 1241. *Breviarium Romanum* et Missale reformavit, et est fere idem, quo nunc utimur. Ut *Aymonius* redderet brevius Psalterium, apposuit loco feriarum, officia Sanctorum. Sed Con-

cilium Trid: Romano Pontifici Breviarium mendis purgandis facultatem dedit, quod et fecit 1568. S. Pius V. Sed Clemens VIII. post 32 illud denuo reformavit. Remanentibus tamen adhuc spuriis lectionibus, rudi latinitate in hymnis Urbanus VIII. 1631. illud decori pristino restituere studuit, sed non est numeris omnibus absolutum.

Pius V. 1568. significat causam edendi Breviarii, abrogat Breviarium Cardinalis S. Crucis et alia, quæ ex consvetudine aut institutione non superant 200. annos, obligat omnes ad hoc Breviarium tam in quam extra chorum introducendum, nihilque in eo mutandum addendum detrahendum. Tollit obligationem recitandi Officium parvum, Defunctorum, Psalmos poenitentiales, extra chorum. Clemens VIII. 1602. accusat Typographorum incuriam, quâ Breviarium Pii V. defoedatum est, et recognitionem ejus viris peritis committit, mandat, ut nonnisi juxta Exemplar Vaticanum, et de licentia Ordinariorum imprimatur, impositis poenis spiritualibus et pecuniariis. Atque sic ritus Psallendi hodiernam formam tam in quam extra Chorum nactus est.

§. De

§. 5.

De Anno et Calendario.

Jnitio Breviarii agitur de anno, ejusque partibus, de cyclo decemnovali, Epactis, Noviluniis, Jndictione. Nam annus ante Xstum natum sub *Romulo* decem menses tantum habebat, quorum 4. habebant 31. et sex reliqui 30. dies. Successor ejus *Numa Pompilius* prædictis decem mensibus addidit *Januarium* et *Februarium* et *Mercedonium* 22 diebus constantem, quô solis lunæque periodus conveniret. *Julius Cæsar* annum solarem 365. dierum condidit, et quarto quoque peractô annô ex relictis quovis anno sex horis unum diem addidit 24tum Februarii, qui, quia bis 6to Calendas Martii diceretur, propter duplicationem *bis sextus* dictus fuit. Quia vero sacrorum Ministri non quintum, sed quartum annum die uno duplicabant seu intercalabant, igitur Cæsaris successor *Augustus* deprehensum hunc errorem correxit, et quintum quoque annum uno die intercalari jussit. Sed cum annus solaris constet 365. diebus, 5. horis, 48. minutis et 45. secundis, hinc 128. anni juxta Calendarium Julianum, toto die sunt longiores, quia 4. anni Juliani con-

stituunt 1461. dies, cum tantum 1460. dies, 23 horas, et 15. minuta constituere debeant. Et revera 1582. sub Gregorio XIII. annus ab Juliano Calendario jam 10. diebus veros annos superabat. Editâ ergo Bullâ mandavit, ut 5. Octobris prædicti anni, 15. sit, et retentis annis bissextis, anni 1700, 1800, 1900, non sint bissextiles, bene vero 2000. Hac correctione Calendarii annus 3200. nonnisi erit unô die longior.

§. 6.

De quibusdam adminiculis ad computum Ecclesiasticum.

Correcto per *Gregorium* XIII. Calendariô, deprehensum est, aureum numerum sufficientem jam non esse ad inveniendam æquationem, lunarem inter et solarem annum; eapropter oblatus est Pontifici liber *Aloysii Lilii Mathematici* Romani, ad Lunæ solisque æquationem componendam. Nam quia periodus lunæ aliquando 30. aliquando 29. diebus perficitur, et annus lunaris solum constet 354. diebus et horis octo, adeoque solaris annus lunarem undecim diebus excedat, igitur in locum aurei numeri, *Epacta* adinventa est,

quâ undecim dies annuæ revolutionis solaris quotannis reliqui, 3tio quovis anno *Embolismum* seu 13tiam Lunationem constituant. Quia tamen et aureus numerus appingitur in Calendario, et ad inveniendam Epactam commodus est, hinc duæ Regulæ statuendæ sunt ad adinveniendum numerum aureum et Epactarum.

1ma Aureus numerus invenitur, si datus annus unitate additâ dividatur per 19, Residuum namque monstrabit aureum numerum. Sic si currenti anno 1805. additur I. et dividitur per 19, residuum erit 1, qui est numerus aureus anni 1805. Si nihil remaneat, aureus numerus erit *

2da Regula, Epacta dati anni invenitur, si aurerus numerus in 3bus digitis pollice indice et medio tantum hac conditione numeretur, ut illi dematur unitas, si finiatur in pollice, *vg.* Aureus numerus anni 1805. est 1. Hæc si dematur Epacta erit *

Si finiatur in indice addendi 9. *vg.* Anni 1806. aureus numerus est *, si novem addantur, IX. erunt Epacta Si finiatur in medio, addantur 19 *vg.* 1807. aureus numerus est 3. si addantur 19. Epacta erit 22. Si tamen summa superaret 30. *vg.* 1813, tunc 30. à summa

subtrahenda forent, et reliquum Epactam monstraret, si nihil remaneret, E. pacta foret. *

§. 7.

De Jndictione, Litera Dominicali et Paschate.

Jndictio antiquitus a tributo nomen tulit, quod quovis decimo quinto anno pendebatur, postea vero circulum quindecim annorum denotavit. Tres vero Jndictiones numerantur *Constniplana* quæ incipit a 1. Septembris 312. *Jmperialis*, quæ à 24. Septembris die devicti *Maxentij* anni 312. orditur *Romana*, quâ 1*ma* Januarii 313. Curia Romana in Bullis utitur.

Regula adinveniendæ hujus *Jndictionis* est; Addantur anno dato 3, summa dividatur per 15. Residuum monstrabit annum *Jndictionis*. Juxta hanc Regulam anno 1805, est 8 annus *Jndictionis*.

Literæ Dominicales additæ sunt pro septem numeris Nundinalibus veteris Calendarii Romani. Ordo earum est omnino *retrogradus*. Hinc quoniam anno 1804 litera Dominicalis fuit g, anno præsenti erit f, sequenti e, et sic deinceps. Jn Bissextili adsumitur 2*da* sequens litera Dominicalis.

Quo-

Quoniam Pascha ex decreto Nicæno celebrandum est Dominicâ 14*tam* lunam Martii subsèquente, hinc ad inveniendum Pascha, primo adinveniatur Epacta anni dati. Deinde ab hac Epacta inter octavum Martii inclusive et quintum Aprilis inclusive numerentur deorsum dies 14. et proximus dies Dominicus post decimam quartam diem erit Pascha. Sic anno 1805, Epacta est * e regione 31. Martii, a quo incipio numerare 14. dies deorsum, qui desinunt in 13. Aprilis, post quam litera Dominicalis f, denotat Pascha 14. Aprilis incidere.

Constitutô Paschate facile inveniuntur Festa mobilia, Septuagesima, Quadragesima, Ascensionis, Corporis Xsti. Adventus tamen non habet certum diem, sed Dominicam Festo S. Andreæ propinquiorem.

Si quis velit scire, quando est bis. sextilis, dividat annum datum per 4. si nihil remaneat, annus est bissextilis, si remanet unum, primus erit a bissextili, si 2. Secundus, et sic ultra.

§. 8.

De Ritu vario recitandi Breviarii.

Officium dicitur *duplex*, quia antyphonæ in Vesperis, Matutino et Laudi-

bus tantum duplicantur, habet integras vesperas utrasque, nisi concurrat cum æquali vel majori, celebraturque eo die quo cadit, nisi ob majus Festum transferri illud contingat. *Duplicia* autem sunt 1*mo*: *primæ Classis cum vel sine Octava*, uti principaliora Festa Domini, Assumptionis B. Nativitatis S. Joannis; Petri et Pauli, OO. SS. et Patroni Ecclesiæ, ita ut 18. in universali Ecclesia numerentur. 2*do Secundæ Classis* 23, ut Circumcisio, Trinitatis, Festa B. V. Apostolorum et Evangelistarum, Crucis, Michaelis, Josephi, Laurentii, Stephani et Jnnocentium. 3*tio. Duplicia majora* 18. 4*to Minora vg.* in die Obitus, et Commemoratione OO. Fidelium 98. exceptis Patronis et Festis pro aliquibus locis. 5*to Semiduplex* Officium tunc est, quando antyphonæ non duplicantur, uti fit infra Octavas et Dominicis, exceptâ Dominicâ in Albis, et quando notatur *sdx.* Festum semiduplex admittit suffragia et preces ad Primam et ad Completorium, nisi venerit infra octavas, habet 3. Nocturnos et 9. Lectiones sicut Duplex. 6*to. Simplex* Officium uti de Feria vel de Festo, quod neque est duplex, neque semiduplex, habet tantum primas Vesperas et unum Nocturnum cum 12. Psalmis de Feria. Si Festum est simplex, Jnvitatorium et Hy-

mni et Antyphonæ ad Laudes dicuntur de Communi SS. Psalmi vero ad Matutinum tantum de feria dicuntur. *7mo.* *De Dominica* per annum fit officium, quando non occurit Festum duplex. De Dominicis Adventûs et à Septuagesimâ usque ad Dominicam in Albis inclusive semper fit Officicium, nisi aliquando occurrat Festum Patroni, aut Dedicatio Ecclesiæ. Dominicæ infra Octavas Epiphaniæ, Nativitatis, Ascensionis, Corporis Christi habent officium proprium. Officium Dominicæ incipit à primis Vesperis, est semiduplex excepta Dominica in Albis, habet 3. Nocturnos. Post Epiphaniam 6. et post Pentecosten 24. Dominicæ positæ sunt, ut compleatur numerus 30. Si quæ post Epiphaniam supersunt, ponuntur post 23 Pentecostes, si vero non possit poni aliqua post Pentecosten, tunc de ea fit Sabbato ante Septuagesimam commemoratio, vel Officium. Dum verô dicitur prima Dominica alicujus mensis, ea tunc assumenda est cum initio libri, quæ venit in Calendis mensis, vel proximior est Calendis, sive Calendas sequatur sive præcedat. Sic si Calendæ sunt Feria *4ta* præcedens Dominica feriam *4tam* erit prima mensis. Si Feria V. sequens Dominica erit prima mensis, uti proximior Calendis. *8vo.* *De feria* per an-

num fit officium, quando nullum Festum occurrit et incipit à Matutino. De Feriis autem Adventus, 4. Temporum, Quadragesimæ, diebus Rogationum, Vigiliis et Cinerum, fit officium etiam simplici occurrente, de quo fit commemoratio et incipit à Vesperis, habet preces feriales ad Laudes et Vesperas et Horas sicut Feriæ Quadragesimæ 9*no*. De *Vigilia* cum ieiunio fit Officium, sicut de feria, quando non impeditur festo semiduplici. Si impeditur, fit de ea commemoratio, si venerit in Dominica de ea fit in Sabbato, Vigilia Pentecostes, Nativitatis et Epiphaniæ proprias habent Rubricas, quæ legi et inspici possunt suô locô. 10*mo*. *De Octava* fit Officium vel Commemoratio per octo dies excepto Paschate et Penteçoste, quæ terminatur in Nona ad Sabbatum. In Quadragesima tamen Pentecoste, Paschate et à 12. Decembris nulla habetur Octava, nec ejus commemoratio. Octava Paschæ et Pentecostes, Epiphaniæ nulla Festa admittunt. Ascensionis et Corporis Xsti duplicia tantum cadentia, aliæ Octavæ admittunt semiduplicia cadentia aut proprium locum habentia. De simplicibus fit infra Octavas Commemoratio excepta Octava Paschæ et Pentecostes. Octava dies semper est duplex et nunquam transfertur, infra

octavam vero semiduplex est officium 11. Si Sabbato per annum non impedito. dicerctur Officinm de S. Maria, ut in fine Breviarii notatur, tunc officium ut in simplici dici debet, sed hoc rarissime contingit, quia ex privilegio recitatur officium de Jmmaculata Conceptione sub ritu semiduplici.

§. 9.

De Commemorationibus.

Commemoratio semper fit de Dominica à Pentecoste ad Adventum, et ab Epiphania ad Septuagesimam, de Feriis Adventus, Quadragesimæ, 4. Temporum et II. Rogationum quocunque Festo occurrente. Præterea fit commemoratio Octavæ et Festi simplicis, quando non occurrit eodem die Eestum aliquod solemne, aut principale, excepta Octava, Nativitatis et Corporis Xsti et Epiphaniæ. Jn Festis secundæ Classis nulla fit commemoratio Octavæ, bene vero simplicis in laudibus tantum et Missa privata. Jn secundis Vesperis tamen *2dæ* Classis fit commemoratio simplicis et diei infra octavam, si de ea fieri debeat officium. De Feriis et 4. Temporibus et *2da* Rogationum fit tantum in laudibus commemoratio, si fieri de-

bet. Fiunt autem commemorationes per antyphonam propriam Feriæ vel de Sancto, versum et orationem. Si plures sint faciendæ commemorationes hic ordo servetur 1. duplex; 2. Dominica, 3. sem duplex, 4. dies infra octavam, 5. Feriæ Adventus, Quadragesimæ, Rogationum. 6. simplex. 7. suffragia. Ad Commemorationem etiam spectat Evangelium cum Homilia de Dominica, aut Feria, aut lectio de Sancto, quæ 9no loco ponitur. Si plures sunt quam una, possunt omnes legi, sed non debent.

§. 10.

De Translationibus et Occurrentia Officii.

Festa occurrentia in Dominicis Adventûs et à Septuagesima usque ad Dominicam in Albis, in Vigiliis Nativitatis, et Circumcisione, in Octava Epiphaniæ, Pentecostes, ipso Festo Corporis Xsti, Assumptionis, et eorum Octava, in festo OO. Sanctorum, in die Cinerum, transferuntur in alium diem festó duplici aut semiduplici etiam translato non impedito. Festum tamen S. Joannis Baptistæ et SS. Petri et Pauli in die Octava Corporis Xsti celebratur. Fe-

stum etiam alicujus Ecclesiæ solemne potest celebrari 2da, 3tia, 4ta Adventus Dominicis, in Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima. Si Festum post suam Octavam transfertur, tunc celebratur sine Octava. Si Festum in diem Octavum incidat saltem 2da Classis, tunc fit de Festo cum commemoratione Octavæ, alias transfertur in diem non impeditum. Si festum duplex occurrit in Dominica per annum, aut infra Octavam, tunc de eo fit officium, si autem alio majori impediatur, tunc transfertur. Festum Semiduplex infra Octavam Corporis Xsti et Dominicis transfertur. Si plura Festa eodem die occurrant, assumitur primo majoris ritus, si vero ritus æqualis sit, celebratur de digniori seu solemniori. Et id in translationibus servandum, ut transferatur, et celebretur prius duplex, quam semiduplex, magis solemne, quam minus solemne. Alias eo ordine celebrantur, quo erant celebranda propriis diebus. Festum simplex nunquam transfertur, sed omittitur, si cadenti die celebrari aut commemorari non possit. Quare si Festum duplex simul cum simplici celebratur, tunc translato duplici non transfertur simplex, sed de simplici fiat die suo commemoratio, et lectio si fieri debeat.

Præterea quomodo et quando eodem die occurrentia Festa transferenda sunt, aut officium ordinandum, videatur tabula Breviarii.

§. 11.

De Concurrentia Officii.

Concurrentia officii semper fit in 2*dis* Vesperis, dum nempe unum Festum pridie, aliud postridie celebrandum est, et hæc Festa, si sint ejusdem ritus, ut duo duplicia, aut semiduplicia, regulariter Vesperas à Capitulo habent de sequenti, cum commemoratione præcedentis. Si vero sint diversi ritus, tunc Festa majora habent integras Vesperas utrasque cum commemoratione minorum. Jmo æqualis solemnitatis habent integras Vesperas, si nempe *vg.* Festa Domini cum Beatæ, Festa Beatæ cum SS. Festa Angelorum et Apostolorum, aut in hac Ecclesia solemnia cum aliis SS. concurrant. Si ergo Semiduplex aut dies sive Dominica infra Octavam concurrat cum duplici, officia fiunt de duplici cum commemoratione semiduplicis aut Octavæ. Si Dominica concurrat cum Semiduplici die infra Oct: et simplici, fit de Dominica cum commemoratione sequentis. Si dies infra Octavam concurrat cum

Dominica aut semiduplici, a capitulo fit de sequenti, Feria cum Feria et simplex cum simplici proprie non concurrit.

Reliqua videri possunt in Tabulis Breviarii.

§. 12.

Quomodo ordinandum officium juxta Regulas prædictas.

Jn majoribus Solemnitabus officium ordinatur suo loco. Si ordinandum sit officium de tempore, recurratur ad proprium de tempore, si de Sancto ad proprium de Sanctis vel ad commune SS. recurratur. Si Festum Sancti fuerit simplex Nocturnum tantum legitur de feria, reliqua de communi Sanctorum Jn Festis Beatæ, Hymni et Psalmi ex officio parvo assumuntur. Quomodo Jnvitatorium, hymnus, et qualis dicendus de tempore, habetur initio Psalterii. Pariter de Benedictionibus et Absolutionis. Quale Jnvitatorium aut hymnus qualis de Sanctis assumendus? habetur in proprio vel Communi Sanctorum.

§. 13.

§. 13.

De Partibus officii divini.

Horæ sunt 8 cum Laudibus, et his non computatis 7. nempe 1*mo* *Matutinum* cum Laudibus, Prima, 3*tia*, 6*ta*, 9*na*, Vesperæ, Completorium. Ante Matutinum semper dicitur secretò *Pater*, *Ave*, et *Credo*, deinde *Domine labia mea*, *Deus in adjutorium*, *Gloria Patri* cum Alleluja, et à Septuagesima ad Feriam 5*tam* ante Pascha *Laus tibi Domine*. Jnvitatorium cum Psalmo *Venite* et *Hymnus* tam in Dominicis quam Feriis et Festis, exceptis Epiphaniæ Festo, et triduo ante Pascha et Officio Defunctorum. Jn duplicibus et semiduplicibus dicuntur 9. Psalmi cum totidem lectionibus. in Dominicis 18. Psalmi cum 9. lectionibus, in Feriis et simplicibus 12. cum 3*bus* lectionibus exceptâ Octava Paschæ et Pentecostes, ubi 3. Psalmi et 3. lectiones tantum dicuntur. Post Psalmos cum *Gloria Patri*, cum Antiphonis dicitur *Versus* et *Pater noster* secreto. Postea post Absolutionem et Benedictiones dicuntur lectiones cum Responsoriis de tempore, aut S. in quorum 3*tio* semper additur *Gloria Patri*. Et simili modo alii Nocturni dicuntur, hoc discrimine

quod ad nonam lectionem dicatur in Dominicis Adventus Quadragesimæ et Feriis extra tempus Paschale nonum aut 3*tium* Responsorium, adeoque non *Te Deum* dicitur. Jn aliis autem Dominicis et Festis et Feriis Paschalibus nonum aut 3*tium* Responsorium omittitur et dicitur De *Teum*, et octavum Responsorium cum *Gloria Patri* finitur. Post Matutinum dicuntur Laudes sine *Pater et Ave* nisi à Matutino separentur. Incipiunt à *Deus in Adjutorium*, *Gloria Patri*, habentque quinque Psalmos cum Antiphonis vel de Sancto vel de proprio de tempore. Psalmi cum Cantico in Feriali officio dicuntur ut in Psalterio, à Septuagesima Dominica usque ad Dominicam Palmarum, ut suo loco notatur, in cæteris Dominicis, Festis 9. vel 3. lectionum aut in Feriis Paschalibus dicuntur ut in Dominica. Antiphonæ propriæ dicuntur, vel si desint, de communi. Postea dicitur Capitulum, Hymnus cum versu Antiphona *ad Benedictus* cum oratione et commemorationibus. Si preces feriales dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem. Post commemorationes dicitur Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium, *Pater* Dominus *det*, et Antiphonæ de Beata tempori conveniens, si Officium finiendum est.

§ 14.

Prima.

Prima incipit à *Pater*, *Ave*, *Credo*, secreto. Deinde Deus in adjutorium, Gloria Patri. Hymnus et Antiphona vel de tempore vel ex Laudibus Festi, si de Sancto dicatur, post quam dicuntur psalmi consveti in Festis 3, in Dominicis 4. cum Symbolo *Athanasii*, et in f riali officio etiam 4, extra tempus Paschale et Sabbatum. Post repetitam Antiphonam dicitur Capitulum *Regi Sæculorum* cum Responsoriis, et in duplicibus statim Oratio cum sequentibus Versibus et Otionibus. Jn semiduplicibus vere post Responsorium dicitur *Kyrie eleyson* Jn Ferialibus loco *Regi Sæculorum* dicitur *Pacem* cum Responsoriis, et precibus Dominicalibus. Aliæ preces addantur, si in Laudibus preces dictæ sunt. Si Sacerdos solus dicit *Confiteor*, omittuntur hæc verba *vobis Fratres* aut *tibi Pater*, et *Misereatur nostri* dicit, et ad Jndulgentiam *nostrorum*, quod etiam in Completorio servandum est. Jn fine loco lectionis brevis legitur Capitulum Nonæ in festis et aliquibus diebus, alias sumitur lectio brevis, prout in fine Primæ pro tempore assignatur.

Ad cæteras horas dicto secretô Pater et Ave. *Deus in adjutorium*, *Gloria Patri* dicitur Hymnus, post quem antiphonæ in laudibus consèquenter assumuntur ad Psalmos, 4*ta* prætermissâ, aut ex Psalterio si de tempore officium sit. Post repetitam Antiphonam dicitur Capitulum, Responsorium, preces si ad laudes dictæ sunt, Dominus vobiscum, Oratio, item Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium.

§. 15.

Vesperæ et Completorium.

Vesperæ dicto *Pater* et *Ave* secreto incipiunt a Deus in adjutorium, Gloria Patri, deinde Antiphonæ 5. cum totidem Psalmis propriæ vel de communi dicuntur. Psalmi in Dominicis et Feriis etiam Paschalibus semper ex Psalterio assumantur, et tempore paschali sub una Antiphona terminantur in feriali officio. Postea dicitur Capitulum, hymnus, Versus, Antiphona ad Magnificat, Oratio, nisi prius preces feriales dicendæ forent. Post Orationem dicuntur commemorationes, si dicendæ sunt, post quas iterum Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium.

Completorium absolute incipit à lectione brevi, *Adjutorium*, Pater sine *Ave*, Confiteor Misereatur Jndulgentiam Converte cum reliquis, Antiphona cum 5. Psalmis, hymno, Capitulo, Responsorio et Cantico. Jn semiduplicibus extra Octavas dicuntur preces ante Orationem, post quam Dominus *vobiscum*, *Benedicamus Benedicat*, et Antiphona de Beata conveniens post quam *Divinum auxilium*, *Pater*, *Ave*, *Credo*.

§. 16.

De singulis precum partibus.

Jnvitatorium cum Psalmo *Venite* omittitur in triduo ante Pascha et in Festo Epiphaniæ, in Officio Defunctorum, nisi cum 3. Nocturnis dicatur, aut sit dies obitus aut commemoratio omnium fidelium, alias semper dicitur. Variatur tamen pro diversitate temporis aut Festi Jnvitatorium.

Hymni in Breviario numerantur 94, quorum plurimi à Sancto *Ambrosio* concinnati sunt. Jn Matutino hymnus dicitur post Psalmum *Venite*. Jn laudibus et Vesperis post Psalmos et Capitulum. Jn horis ante Psalmos, in Completorio post Psalmos ante Capitulum. Variantur sæ-

pe hymni in fine in quibusdam Festis *Domini* et *Beatæ*, ut adnotatur suo loco. Tempore Adventus, Quadragesimæ, et in Dominicis pro diversitate temporis varii sunt hymni, ad Matutinum, laudes et vesperas, quando officium est de tempore.

Antiphonæ, quæ S. *Jgnatium* Antiochenum habent Authorem, dicuntur ad omnes horas, et mutantur in laudibus et Vesperis et aliis horis diurnis pro diversitate temporum, quæ vero sunt de Dominica et Feria ad Nocturnos et Vesperas et completorium positæ, non nisi tempore Paschali mutantur, dum earum loco dicitur Alleluja aut propria antiphona, et tempore Adventus ad Vesperas et Nocturnos Dominicæ propriæ ponuntur. Antiphonæ ad Vesperas tam in Festo quam de Tempore semper sumuntur de Laudibus, nisi propriæ fuerint. Eædem Antiphonæ ex laudibus assumuntur quoque ad singulas horas 4ta prætermissa. Quando in feria Adventûs non sunt propriæ ad Laudes, tunc ex laudibus Dominicæ sumuntur. Tempore Paschali additur antiphonæ Alleluja, si non habetur, et Psalmi Nocturnorum sub una tantum Antiphona dicuntur. A Septuagesima veró Alleluja tacetur, et ejus loco nihil additur. Antiphonæ integræ dicuntur in Vesperis, Laudibus et

Matutino in duplicibus, tam ante Psalmos, quam Cantica, in aliis autem horis, aut in semiduplicibus, tantum inchoantur et in fine Psalmi integræ dicuntur. Si tamen Antiphona ita incipiat sicut Psalmus, tunc sine repetitione Psalmus continuatur. Pro commemoratione in Vesperis accipitur Antiphona ad *Magnificat* cum versu et oratione, in laudibus vero sumitur Antiphona *ad Benedictus* cum Versu et Oratione.

Psalmi in Officio de tempore per omnes horas dicuntur ut in Psalterio, nisi aliter assignetur, ut in triduo ante Pascha. Jn Festis vero dicuntur, sicut signatur in proprio aut communi SS. Psalmi ad laudes semper dicuntur in Festis et Feriis paschalibus de Dominica. Quando officium est de Dominica extra Octavam Corporis Xsti et Epiphaniæ tunc dicitur Psalmus *Confitemini* ad Primam excepta Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum, ubi ejus loco dicitur *Dominus regnavit*, quia *Confitemini* ad laudes dicitur, excepto etiam tempore Paschali usque ad Ascensionem, quia tunc tantum 3. Psalmi dicuntur. Jn feriali officio locô *Confitemini* dicuntur Psalmi per singulas Ferias distributi, excepto Sabbatô, Feriis Paschalibus et Festis, inquibus tantum 3. Psalmi dicun-

cuntur. Alias in horis Psalmi nunquam mutantur, tam in Festis, quam Feriis.

Ad Vesperas de Festo, ut plurimum dicuntur Psalmi de Dominica, ultimus tamen sæpe mutatur. Jn fine Psalmorum semper dicitur *Gloria Patri*, præterquam in triduo ante Pascha, in Psalmis *Deus Deus meus* et *Laudate Dominum*, qui cum aliis conjunguntur, et in Officio defunctorum, in quo terminantur, licet pro uno, *Requiem æternam dona eis.* Si vesperæ dicendæ sint infra Octavas, dicuntur ut in Secundis Vesperis, in ipsa Octava ut in primis.

Cantica 3. *sunt*, *Magnificat* quod semper ad Vesperas dicitur. *Benedictus* ad Laudes. *Nunc dimittis* ad Completorium. Præterea in Dominicis ad Laudes dicitur Canticum *Benedicite*, et in Festis et tempore paschali sine *Gloria* et *Amen.* Jn aliis feriis sumuntur alia cuilibet Feriæ assignata.

Versus in Matutino post quemvis nocturnum dicuntur, in *Laudibus et Vesperis* post hymnum, *in horis* post Responsorium, excepta Octavâ Resurrectionis, in qua tantum ad Nocturnum dicuntur et triduo ante Pascha. Dicuntur autem tempore Paschali cum Alleluja, etiam quando fit commemoratio, exceptis tantum versibus precum in Prima et Responsoriorum in Matutino. Versus de

simplici festo dicuntur ex communi, ut in Psalterio notatur.

Absolutiones et Benedictiones ante Psalterium positæ, ita dictæ sunt, quia absoluto nocturno dicebantur cum *oratione Dominica*. Dicuntur in Officio novem lectionum hoc ordine, quo positæ sunt exceptô officiô tenebrarum, et defunctorum, in quo omittuntur. Jn Officio trium lectionum de feria sumuntur hoc ordine, Feria 2. et 5. Absolutio et Benedictio 1*mi Nocturni*, Feria 3 et 6. 2*di Nocturni*, Feria 4 et Sabbato 3*tii Nocturni*. Si autem in Officio 3. lectionum Evangelium cum Homilia legendum foret, Absolutio sumitur juxta ferias prædictas, Benedictio vero 1*ma* erit *Evangelica* lectio, 2*da Divinum*, si de Feria: vel *cujus Festum*, si de Sancto 3*tia*, ad *societatem*. Si sine Evangelio sit Officium 3. lectionum, prima Benedictio erit *Jlle nos benedicat*. Jn Officio parvo B. Benedictio, et Absolutio proprio loco habetur.

Lectiones ad Matutinum in duplicibus et semiduplicibus leguntur ad quemque Nocturnum 3. Jn feriis et simplicibus tantum 3. Primæ tres lectiones in officio 9. lectionum sumuntur de Scriptura occurrente hoc tempore, nisi sint propriæ. Jn 2*do* Nocturno vita Sancti legitur propria, vel de Communi, in 3*tio* Homilia super Evangelium cum 2. lectionibus, si sit nona lectio de sim-

plici aut Feria, vel si desit commemoratio, tres leguntur. Jn officio tenebrarum et Defunctorum non legitur Homilia super Evangelium. Jn officio 3. lectionum de feria legitur Homilia cum Evangelio, vel Scriptura occurrens. Jn officio 3. lectionum de Sancto prima lectio de Scriptura, si habuerit duas lectiones, si vero unam tantum habuerit, duæ leguntur de Scriptura. Quoniam vero Scriptura ita est distributa, ut quotidie ex ea aliquid legatur, igitur, si Jnitium libri non possit legi cadenti die, transferatur in sequentem diem, ut nunquam omittatur Jnitium Scripturæ. Jn Communi Sanctorum posita, legitur in Quadragesima, et quando Festum in propria Ecclesia celebratur, aut quando in proprio SS. assignatur, aut Scriptura occurrens habeat Evangelium cum Homilia. Lectiones I. et III. Nocturni leguntur cum titulo, secundi vero sine titulo, nisi sint Tractatus, aut Sermones. Jn fine lectionis dicitur *Tu autem Domine miserere nobis. Deo gratias*; quod etiam in Lectione brevi in Completorio et ad Primam post *Pretiosa* servandum, exceptô triduô ante Pascha et defunctorum officio.

Responsoria post lectionem quamvis Matutini dicuntur, et quidem in duplicibus et Dominicis per annum octo. A

Septuagesima ad Palmarum et Dominicis Adventûs et Festo Jnnocentium extra Dominicam dicuntur 9. ultimo cujusvis Nocturni semper additur *Gloria Patri* cum repetitione partis responsorii extra tempus passionis et defunctorum. Quotiescunque dicuntur novem Responsoria, non dicitur *Te Deum.* Jn Festis simplicibus et Feriis Paschalibus duo Responsoria cum *Te Deum* dicuntur, in aliis Feriis 3. sine *Te Deum*, quæ assumuntur ex Dominica præcedenti, nempe ex primo Nocturno pro Feria 2*da* et 5*ta*, ex secundo pro Feria 3. et 6*ta*, ex 3*tio* pro 4*ta*, et Sabbato. Et si tantum unum responsorium sit in 3*tio* Nocturno, quia *Duo Seraphin* tantum in Dominicis dicitur, igitur reliqua duo sumuntur ex sequenti feria 2*da*, si propria non habuerit, Tempore Paschali in fine Responsorii additur *Alleluja.*

Responsoria brevia dicuntur post Capitulum Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ et Completorii, præterquam in triduo ante Pascha usque ad Sabbatum in Albis. Responsorium Primæ et Completorii semper dicitur, ut in Psalterio. Responsoria autem Tertiæ, Sextæ, Nonæ variantur in Adventu, Quadragesima, Passione, Paschate, Festis, in cujus fine dicitur *Gloria Patri*, excepto tempore Passionis, quo, locô *Gloria* Responsorium repetis

tur, quando officium est de tempore. Vesus in Responsorio ad Primam mutatur in Adventu, Festis Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatis, Beatæ, et aliis, ut suo loco notatur. Tempore Paschali additur Responsoriis brevibus *duplex Alleluja*, et in versu repetitur, in aliis autem Festis, licet Tertiæ, Sextæ, Nonæ duplex Alleluja additur, non ideo in Prima et Completorio additur, ut in Festo Corporis Xsti, Transfigurationis, videre est.

Capitula semper dicuntur in Vesperis, Laudibus et aliis horis post Psalmos et Antiphonas, et in Completorio post hymnum, excepto Officio defunctorum et triduo ante Pascha, usque ad Sabbatum in Albis.

Capitula propria de tempore *vg.* Quadragesima, Adventus, dicuntur ut notatur Feria *2da* post Dominicam Adventus et Quadragesimæ, si sit Officium de Feria, in aliis Feriis sumuntur sicut et in Dominicis, ex Psalterio, si non habent propria. Jn Feriis tempore Paschali dicitur *Regi Sæculorum*, et post Capitulum semper dicitur *Deo gratias*, quocunque tempore et Festo.

§. 17.

De Orationibus.

Orationes in Vesperis et Laudibus semper dicuntur post Antiphonam *ad*

Benedictus vel *Magnificat* aut post preces si dicendæ sunt. Jn *Prima et aliis horis* post breve Responsorium, vel post preces si dicendæ sunt. Jm Completorio post Antiphonam *Salva nos*, nisi etiam preces dicendæ forent. Jn Prima et Completorio Oratio nunquam mutatur excepto triduo ante Pascha, in alio officio sumitur oratio diei, *vg.* Feriæ aut Dominicæ, si non habet propriam, aut si Festum propriam non habet de communi. Ante orationem semper dicitur *Dominus vobiscum*, nisi plures essent orationes, Subdiaconus ejus loco dicit *Domine exaudi*, deinde *Oremus*, quod etiam ante alias sequentes orationes dicitur. Post orationes repetitur *Dominus vobiscum*, à Subdiacono *Domine exaudi*, *Benedicamus*, *Fidelium*. Jn Completorio omittitur *Fidelium*, sicut tum, quando post aliquam horam officium defunctorum, Litaniæ aut Psalmi Poenitentiales, aut graduales dicendi forent, aut Officium parvum. Si Oratio dirigatur ad Patrem, tunc terminatur *Per Dominum*: Si ad Filium *Qui vivis*: Si Spiritus S. mentio facta est, additur in unitate *ejusdem*. Si plures orationes dicendæ sunt, prima tantum et ultima habet conclusionem, sed quælibet habet Oremus excepto Officio Defunctorum et Litaniis, in quibus omnes conjunctim dicuntur.

§. 18.

Te Deum laudamus.

Hymnus prædictus non dicitur in Feriis extra Paschale tempus, et *ada* Rogationum, Festo SS. Innocentium extra Dominicam, et in Dominicis Adventus et à Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, quia tunc nonum aut tertium Responsorium dicitur, alias semper dicitur.

Oratio Dominica cum Salutatione Angelica, ante quamvis horam dicitur exceptis laudibus, si cum Matutino jungantur, et Completorio, quia post *Adjutorium* tantum *Pater* dicitur, quod etiam dicitur tantum, quotiescunque hora terminanda est. Post Completorium ante Primam et Matutinum dicitur *Pater*, *Ave*, *Credo.*

Symbolum S. Athanasi dicitur, quando est officium de Dominica, exceptis Dominicis Paschæ, Pentecostes, infra Octavam Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Xsti, in quibus Psalmi 3 tantum dicuntur. Dicitur etiam in Dominica Trinitatis.

Preces seu versus varii cum Kyrie eleyson sunt duplices, 1*mo*, quæ dicuntur in Semiduplicibus extra Octavas, ad Primam et Completorium, vocanturquè *Dominicales*, sed in Vigilia Epiphaniæ, et triduo ante Ascensionem Domini non

dicuntur, 2do. *Feriales* quæ ad Laudes et Vesperas dicuntur in Feriis Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor Temporum Vigiliis, hoc dicrimine quod ad Laudes in precibus dicatur Psalmus *De profundis*, in Vesperis vero *Miserere*.


Suffragia Sanctorum de Titulo Ecclesiæ, S. Maria, Apostolis et Pace dicuntur ad Vesperas et Laudes in omnibus Dominicis, Feriis ab Octava Epiphaniæ ad Dominicam Passionis, et a 3*tia* Pentecostes usque ad Adventum, et in Festis semiduplicibus extra Octavas. Tempore Paschali Commemoratio de *Cruce* tantum dicitur. Jn Officio parvo de Beata non fit commemoratio Beatæ. Positæ sunt hæ Commemorationes ante Completorium, et fiunt post alias Commemorationes.

Antiphonæ, de Beata in fine Completorii positæ pro diversitate temporis, in fine Officii dicendæ, semper dicuntur, in fine Completorii etiam si post illud Matutinum dicatur. Jn aliis horis dicuntur, quotiescunque terminatur officium. Non dicuntur in triduo ante Pascha, aut quando dicitur alia hora, aut officium defunctorum, aut Psalmi Poenitentiales.

Quomodo officium de tempore, aut de proprio Sanctorum vel communi, nec non officium defunctorum aut parvum de Beata dicendum, in quibus postremis etiam tempore Paschali versibus et Responsoriis Alleluja non additur, suo loco notatur.

Alumnis Seminarii assignantur Octavæ.







EB OMAPA

UDIORU





